BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 M
3

13-14·I·11

Digitized by Google

1

M

Google

DE
REGULIS
JURIS CANONICI
LIBER UNICUS,

AUCTORE

FRANCISCO ANTONIO

FŒBEO

SOCIETATIS JESU.

OPUS POSTHUMUM.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCCXXXV.

Apud Nicolaum Pezzana.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

INDEX TITULORUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TITULUS PRIMUS.

DE jure Canonico in univerſali, ejuſque Legislatore. pag. 3
SECT. 1. De Jure Canonico in univerſali. ibid.
SECT. 2. De Legislatore Canonico. 5
SECT. 3. De Conciliis generalibus. 11

TITULUS SECUNDUS.

De Regulis Juris in Quinto Decretalium. 19
SECT. 2. Regulæ Juris in Quinto Decretalium. 23
REG. 1. Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. ibid.
REG. 2. Eſtote miſericordes. 26
REG. 3. Qui ſcandalizaverit, & infra. Utilius ſcandalum permittitur, quam veritas relinquatur. 27
REG. 4. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. 29
REG. 5. Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere. 31
REG. 6. Cum in contemplatione: & infra. In ipſo cauſſæ initio non eſt quæſtionibus inchoandum. 32
REG. 7. Quæ multoties: & infra. Quidquid in Sacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputatur: quia ſacra ſunt, & a quoquam violari non debent. 33
REG. 8. Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat, facit; & ideo jam non facit. ibid.
REG. 9. Deflet peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus. 34
REG. 10. Quamvis cauſſæ: & infra. Non enim poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. 35
REG. 11. Indignum eſt, & a Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur. ibid.

A 2 TI-

TITULUS TERTIUS.

De Regulis Juris in ſexto. 36
REG. 1. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri.* 37
REG. 2. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non praſcribit.* 43
REG. 3. *Sine poſſeſſione praſcriptio non procedit.* 68
REG. 4. *Peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum.* 86
REG. 5. *Peccati venia non datur, niſi correctio.* 91
REG. 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* 93
REG. 7. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* 97
REG. 8. *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* 102
REG. 9. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* 106
REG. 10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* 111
REG. 11. *Cum ſunt Partium Jura obſcura, Reo favendum eſt potius, quam Actori.* 115
REG. 12. *In Judiciis non eſt perſonarum acceptio habenda.* 119
REG. 13. *Ignorantia facti, non Juris excuſat.* 120
REG. 14. *Cum quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſſam habere cenſetur.* 128
REG. 15. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari:* 130
REG. 16. *Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum.* 135
REG. 17. *Indultum a Jure beneficium non eſt alicui auferendum.* 137
REG. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.* 141
REG. 19. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* 146
REG. 20. *Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.* 147
REG. 21. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* 150
REG. 22. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* 154

REG.

REG. 23. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliſ quis puniendus.* 15
REG. 24. *Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.* 158
REG. 25. *Mora ſua cuilibet eſt nociva.* 160
REG. 26. *Ea, quæ fiunt a Judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.* 163
REG. 27. *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.* 165
REG. 28. *Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* 168
REG. 29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* 170
REG. 30. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* 174
REG. 31. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* 179
REG. 32. *Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.* 181
REG. 33. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* 183
REG. 34. *Generi per ſpeciem derogatur.* 185
REG. 35. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* 191
REG. 36. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.* 194
REG. 37. *Utile non debet per inutile vitiari.* 195
REG. 38. *Ex eo non debet, quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.* 199
REG. 39. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.* 201
REG. 40. *Plurali locutio duorum numero eſt contenta.* 202
REG. 41. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* 204
REG. 42. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* 206
REG. 43. *Qui tacet, conſentire videtur.* 211
REG. 44. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* 218
REG. 45. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.* 221
REG. 46. *Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet.* 222

REG. 47. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* 225
REG. 48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* 226
REG. 49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* 228
REG. 50. *Actus legitimi conditionem non recipiunt; neque diem.* 231
REG. 51. *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.* 236
REG. 52. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* 239
REG. 53. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* 242
REG. 54. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* 245
REG. 55. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra.* 248
REG. 56. *In re communi potior eſt conditio poſſidentis.* 250
REG. 57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* 252
REG. 58. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* 254
REG. 59. *Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.* 256
REG. 60. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* 258
REG. 61. *Quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* 260
REG. 62. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* 262
REG. 63. *Exceptionem objiciens non videtur de intentione Adverſarii confiteri.* 265
REG. 64. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* 268
REG. 65. *In pari delicto, vel cauſſa, potior eſt conditio poſſidentis.* 269
REG. 66. *Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur: haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.* 270
REG. 67. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* 274

REG.

REG. 68. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* 275
REG. 69. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* 278
REG. 70. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* 279
REG. 71. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.* 286
REG. 72. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum.* 288
REG. 73. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari.* 289
REG. 74. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* 291
REG. 75. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe praeſtitam ſervare recuſat.* 292
REG. 76. *Delictum perſonae non debet in detrimentum Eccleſiae redundare.* 294
REG. 77. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.* 296
REG. 78. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.* ibid.
REG. 79. *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.* 298
REG. 80. *In toto partem non eſt dubium contineri.* 300
REG. 81. *In generali conceſſione non veniunt ea, quae quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* ibid.
REG. 82. *Qui contra Jura mercatur, bonam fidem praeſumitur non habere.* 302
REG. 83. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.* 304
REG. 84. *Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* 306
REG. 85. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* 308
REG. 86. *Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.* 309
REG. 87. *Infamibus portae non pateant dignitatum.* 311
REG. 88. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* 314

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro Intitolato: *De Regulis Juris liber Unicus*, *Auctore Franciſco Antonio Fœbeo Societatis Jeſu*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 22. Maggio 1724.

(*Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riſ.*
(*Alviſe Piſani Kav. Proc. Riſ.*
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Riſ.*

27. Maggio 1724.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nod.

Agoſtino Gadaldini Segr.

S A

SACRI JURIS CANONICI

BIBL. [illegible] NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBER PRIMUS.

Ex Primo Libro Decretalium Tituli Selecti.

SOllemne eſt Juriſconſultorum effectum, communi etiam experientia comprobatum; in tradendis, & addiſcendis diſciplinis valde conducere prima earumdem elementa, & univerſaliora principia prima veluti oculo perluſtrare, antequam ad interiora earum penetralia, & obſcuriores veritates aditus patefiat. Ita enim intellectus levi illa inſtitutione ruditer perpolitus non facile obruitur rerum multitudine, ac varietate, quæ intellectui penitus novo accidiſſet impervia. Quamvis autem reliquis diſciplinis illud commune ſit, ſpecialem tamen ſibi locum vindicat in diſciplina Legali, quæ majori rerum varietate contexta eſt: unde Juſtinianus in proęmio Digeſtorum ſapienter pręcipit, ut antequam Juris ſtudioſus vaſtum illud pelagus præceptorum ingrediatur, quod includitur in Digeſtis, & Codice, primam operam

ponat in Inſtitutionibus Juris, in quibus mediocriter traduntur prima totius juriſprudentiæ rudimenta, ut deinde, eiſdem emenſis, fiat facilis, & utilis reditus ad priora ſolidius, ac diligentius agnoſcenda. Morem iſtum ſcrutantes, traditis hactenus, quę ad Juris Canonici rudimenta ſpectabant, regredimur etiam nos ad initium Canonici operis, & Libros Decretalium aggredimur diligentiori opera inveſtigandos, diſciplinam ſcilicet traditur pulcherrimam, ſcituque digniſsimam, per quam humana prudentia ſupra ſeipſam elevata lumen vultus Dei uberius participat. Rem totam partiemur in titulos ex Libris Decretalium deſumptos, atque ſelectos, ordinemque ſervabimus, qui magis accedere videbitur methodo ſcientificæ, quæ ſatis utilis eſt, ut non ſolum ſingula percipiantur clarius, ſed etiam ut multo facilius memoria comprehendantur. Ut autem eidem ordini, ac claritati inſerviamus, antequam ſingulares Juris Canonici partes cognoſcamus, prælibabimus in ſequenti titulo circa Jus Canonicum in univerſali quędam utiliora, necnon circa Legislatorem Canonicum, ubi etiam ex rei opportunitate ſummatim trademus brevem notitiam omnium Generalium Conciliorum, a quibus plurimi Canones conditi ſunt; omnia hæc, omneſque nos ad ejus laudem, & gloriam referentes, qui omnium donorum fons eſt, & origo Suprema.

T I.

TITULUS I.

De Jure Canonico in Univerſali, ejuſque Legiſlatore.

SECTIO I.

De Jure Canonico in Univerſali.

1 PRæſuppoſitis iis, quæ dicta ſunt a nobis initio Inſtitutionum noſtrarum circa varias diviſiones, & ſignificationes Juris, conſtat ex ibidem dictis nomine Canonis, ſeu Canonici Juris in genere nihil aliud ſignificari, quam Eccleſiaſticas illas leges, quibus Eccleſia dirigitur ad divinum cultum, & ſupernaturalem finem animarum: quamvis enim Græca vox Canonis ſignificet regulam, ſive menſuram juſti; omnis autem lex, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis, dummodo juſta ſit, appellari poſſit regula juſti; attamen communis uſus, & conſuetudo loquendi ſolis legibus Eccleſiaſticis nomen Canonis applicavit, ideo fortaſſe, quia Eccleſiaſticę leges ſunt nobilior regula juſti, utpote procedentes a poteſtate nobiliori, qualis eſt poteſtas Eccleſiaſtica, & ad nobiliorem finem æternæ ſalutis hominem dirigentes.

2 Canon ita generice acceptus mulpliciter dividi poteſt. Alius enim eſt univerſalis, ſeu communis, alius particularis. Univerſalis, ſeu communis dicitur, qui fertur pro tota Eccleſia; particularis autem, qui fertur tantummodo pro certo particulari loco, extra quem Ca-

non ille non obligat, cujus generis ſunt leges illæ particulares, quæ ſtatutæ ſunt tantum pro hoc, vel illo particulari Epiſcopatu. Nomen tamen Canonis abſolute prolatum ſolet ſemper intelligi de lege Eccleſiaſtica Univerſali.

3 Secundo. Canon generice acceptus dividitur in Canonem ſpecifice ſumptum, ſeu in ſignificatione minus ampla in Decretum, in Epiſtolam Decretalem, in Dogma, in Mandatum, in Interdictum, & in Sanctionem. Hæc diviſio affertur a Gloſs. in Decreto Gratiani diſt. 3. v. *Omnes*. Nomine Canonis ſpecifice ſumpti, ſeu in ſignificatione minus ampla intelligi ſolet Conſtitutio, ſeu lex edita a Concilio Generali præcedente alicujus conſultatione. Epiſtola Decretalis dicitur Conſtitutio facta a Summo Pontifice ad conſultationem alterius, ſcripto tranſmiſſa, & publicata. Dogma eſt conſtitutio doctrinalis circa fidem. Mandatum conſtitutio circa mores. Interdictum conſtitutio aliquid prohibens, nulla pęna pro tranſgreſſoribus interpoſita. Sanctio demum, per quam ita aliquid prohibetur ut ſimul adjiciatur pœna tranſgreſſoribus. Omnes tamen iſtæ Conſtitutionum ſpecies ſæpe veniunt, & confunduntur ſub uno, eodemque nomine Canonis, ſeu legis Eccleſiaſticæ.

4 Tertio demum Canon alius dicitur Extravagans, alius incluſus in Corpore Juris. Canon incluſus in Corpore Juris, dicitur omnis illa conſtitutio, quæ inſerta eſt in voluminibus componentibus Corpus Juris, videlicet, vel in Decretalibus Gregorii, vel in Sexto, vel in Clementinis, vel in Libro Extravagantium,

de quibus partibus ſermo nobis fuit in prima parte Inſtit. cap. 1. Canon extravagans vocatur ea conſtitutio, quæ nondum poſita eſt in prædictis voluminibus componentibus Corpus Juris, ſed quaſi extra vagatur; quales ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum editæ poſt compilationem totius Corporis Juris Canonici: quod nomen adhuc retinetur etiam ab iis Conſtitutionibus, quæ componunt Librum Extravagantium intra Corpus Juris, quia ſcilicet tale nomen habuerunt, antequam eidem corpori adnecterentur; unde factum eſt, ut etiam poſtquam factæ ſunt partes ejuſdem corporis, in ea quaſi poſſeſſione ejuſdem nominis perſeveraverint.

5 Omnibus prædictis Sacrorum Canonum ſpeciebus commune eſt habere vim obligandi tum in foro conſcientiæ, tum etiam in foro externo eos, qui ſubduntur Eccleſiaſticæ poteſtati Legislatoris. Canones igitur editi ab habente juriſdictionem ſupra totam Eccleſiam; quales ſunt Canones editi a Summo Pontifice, aut a Concilio Generali approbato, vim habent obligandi omnes fideles, ut expreſſe habetur in cap. 1. De Conſtit. per hæc expreſſa verba: *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur*. Canones autem, ſeu leges editæ ab habente juriſdictionem limitatam ſupra aliquam particularem Provinciam, aut ſupra aliquod particulare genus perſonarum, quales ſunt leges editæ ab aliquo particulari Epiſcopo, aut ab aliquo Concilio Provinciali, obligant tantummodo ejuſdem Provinciæ, aut

illius

illius particularis generis homines: quia ſcilicet *extra territorium jus dicenti non paretur impune*, L. extra territorium 20. ff. de juriſdictione omnium Judicum; &c. *ut animarum* 2. de conſt. in 6. Quod tamen intelligi debet, niſi Summus Pontifex leges illas faciat)ſuas, ſuaſque promulget pro tota Eccleſia; quia in tali caſu evadunt Canones univerſales, quemadmodum de facto in Corpore Juris Canonici reperiuntur plures leges deſumptæ ex aliquo Concilio Provinciali, ſimulque vim habentes obligandi totam Eccleſiam.

SECTIO II.

De Legislatore Canonico.

1 Legiſlatorem Canonicum appello hic omnes illas Perſonas, quæ poſſunt condere leges Eccleſiaſticas. Jam vero dari in Eccleſia talem poteſtatem legiſlativam, manifeſtum eſt; tum ex principiis fidei, tum etiam ex lumine rationis. Ex principiis quidem fidei: nam Petro dictum fuit: *quodcumque ligaveris, &c.* & *Paſce oves meas*; quibus verbis commiſſa fuit Petro Eccleſia regenda, & gubernanda, quæ gubernatio ſine poteſtate legiſlativa congrue exerceri non poſſet. Accedit uſus, & conſuetudo illius ejuſdem poteſtatis a temporibus Apoſtolorum, uſque ad hæc noſtra tempora, unde Actor. 15. legitur Decretum illud editum ab Apoſtolis: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis, &c.*

2 Conſtat etiam ex lumine rationis: nam certiſſi-

tiſſimum eſt, Eccleſiam Dei eſſe perfecte inſtitutam, & ordinatam in unum Corpus Myſticum; non eſſet autem perfecte inſtituta, & ordinata, ſi in ea non daretur legislativa poteſtas, cui fideles obedire teneantur: ſatis enim inefficax, & inordinata eſt gubernatio, ubi ex parte ſubditorum nulla neceſſitas eſt obediendi; unde eſt, quod etiam pro civili regimine, ut ordinate ſervetur, neceſſe eſt dari civilem poteſtatem ferendi leges, ad quarum obſervantiam ſubditi obligentur.

3 Ut autem in particulari declaremus, penes quem reſideat poteſtas iſta legislativa in ordine ad Canones ſtatuendos; in primis certum eſt eamdem competere Summo Pontifici, & quidem pro tota Eccleſia: ut late probant Theologi, defendentes Primatum Petri, Romanorumque Pontificum contra recentiores hujus temporis Hæreticos; & videri poteſt Bellar. in Libris de Rom. Pontifice, & præſertim in l. 4. c. 15. & ſeqq.

4 Epiſcopos etiam pro ſuis particularibus Diœceſibus Eccleſiaſticas leges ferre poſſe, eſt ſententia certa omnium Canoniſtarum, & videtur aperte inſinuari in cap. 1. de Conſecr. diſt. 3. ut notat ibidem Gloſ. communiter recepta, v. *Non generaliter*. Cum enim Epiſcopi poſiti ſint regere Eccleſiam Dei, ordinatum autem regimen haberi non poſſit ſine poteſtate legislativa; congruum fuit, ut Epiſcopis quoque competeret ſupra Eccleſiam ſibi commiſſam poteſtas legislativa, ſervatis tamen limitibus juriſdictionis ſuæ, quia plura ſunt, de quibus Epiſcopi leges ferre non poſſunt; puta non poſſunt aliquid ſtatuere contra jus commune, aut circa cauſſas ali-

quas graviores, quæ Summo Pontifici ſunt reſervatæ, ut aperte deſumitur ex Can. *Multis* 6. diſt. 17. in fine, & ex canon. *Concilia* 7. ead. diſt.

5 Quod ſi Epiſcopis diviſim ſumptis relate ad ſuas ſingulares Diœceſes poteſtas legislativa neganda non eſt; a fortiori non erit neganda iiſdem in unum collectis, ſeu Concilio Epiſcoporum auctoritate legitima congregato. Ad hujus intelligentiam ſupponendum eſt primo, Nomine Concilii in Eccleſia intelligi conventum Epiſcoporum, aut aliorum, qui de jure, vel privilegio, vel conſuetudine admitti poſſunt, congregatum ad ſtatuendum collatis ſententiis ſuper rebus emergentibus, quod verum, aut utile judicaverint: eo proportionaliter modo, quo in temporalibus Regnis, cum oritur gravis aliqua controverſia, convocantur in unum Principes Regni, vel Magiſtratus, ut communibus ſuffragiis decernant, quid facto opus ſit.

6 Supponendum ſecundo, plures eſſe Conciliorum ſpecies in Eccleſia. Aliud enim eſt Conc. Diœceſanum, aliud Concil. Provinciale; aliud Conc. Nationale, aliud Conc. Generale. Diœceſanum Concilium dicitur, quod in ſua particulari Diœceſi congregatur ab Epiſcopo ex Presbyteris ſui Epiſcopatus, quibus ipſe Epiſcopus præeſt.

7 Conc. Provinc. vocatur, in quod conveniunt omnes Epiſcopi ſuffraganei unius Provinciæ, quibus præeſt Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus; cujus generis plurima reperiuntur in Voluminibus Conciliorum.

8 Concilium Nationale eſt, in quod conveniunt

niunt omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi unius Regni, vel Nationis, quibus præeſt Patriarcha, vel Primas ejuſdem Nationis, qualia ſunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana, quæ nonnumquam vocantur etiam generalia, quia videlicet generalia ſunt relate ad illud Regnum, ſeu Nationem, quamvis abſolute, & quoad totam Eccleſiam non ſint univerſalia.

9 Demum Conc. Generale dicitur, ad quod vocantur Epiſcopi totius Eccleſiæ, qui poſſunt, & debent eidem intereſſe, niſi legitime impediantur, & cui præſidet Summus Pontifex per ſe, vel per ſuos Legatos.

10 His præſuppoſitis, certum eſt ſingulas iſtas Conciliorum ſpecies habere poteſtatem ferendi leges Eccleſiaſticas, quamvis non omnes habeant æqualem, ſed proportionatam Juriſdictioni ſuæ, quæ in ipſis inæqualiter eſt. Hinc in Concilio Diœceſano, cui præſidet Epiſcopus habens Juriſdictionem ſupra ſolam ſuam Diœceſim, poſſunt ferri leges, quæ tantummodo obligent homines ejuſdem Diœceſis, & in materia, quæ non ſit reſervata Summo Pontifici, ut ſupra dictum fuit de Epiſcopis. In Concilio Provinciali, ubi interſunt Epiſcopi totius Provinciæ, poſſunt condi leges obligantes tantummodo homines ejuſdem Provinciæ, & in materia Summo Pontifici non reſervata. In Concilio Nationali fieri poſſunt decreta obligantia ſolum homines ejuſdem Nationis in Materia pariter non reſervata Pontifici. Demum in Concilio Generali Canones condi poſſunt Univerſalem Eccleſiam obligantes.

11 Hæc

11 Hæc omnia conſtant ex principio ſupra inſinuato: quia ſcilicet legislator leges ferre non poteſt extra limites Juriſdictionis ſuæ, ut patet ex ſuprac. l. *Extra Territorium* 20. ff. De Juriſdict. omnium Judicum, quæ lex eſt canonizata in c. *Ut Animarum* 2. de Conſtitutionibus in 6. atqui limites Juriſdictionis, quam habet Diœceſanum Conc. continentur intra fines Diœceſis, limites Juriſdictionis Concilii Provincialis, intra fines Provinciæ, limites Juriſdictionis Concilii Nationalis, intra limites Nationis, vel Regni; demum Concil. Generale ex omnibus Eccleſiæ Epiſcopis congregatum Juriſdictionem extendit ſupra Univerſalem Eccleſiam: ergo, &c.

12 Advertendum tamen hic eſt notabile diſcrimen, quod intercedit in re præſenti inter prædictas Conciliorum ſpecies; quod leges Conciliorum Diœceſanorum, ut obligent, non requirunt neceſſario poſitivam confirmationem Summi Pontificis; at vero leges, quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, non publicantur, nec ad praxim, & obſervantiam reducuntur inconſulto Romano Pontifice, ut conſtat ex recepta conſuetudine, & ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii in Florentina, & Januenſi die 24. Julii 1573. quam citat Pignat. Conſult. Canon. tom. 4. conſultorum, 132. num. 13.

13 Idem a fortiori dicendum eſt de Conciliis Nationalibus, & multo magis de Generalibus; ea ſcilicet antequam obligent per ſuas leges, approbanda eſſe a Summo Pontifice; & ita in praxi ſervatum ſemper eſt in Eccleſia: unde omnia Generalia Concilia ab Eccleſia rece-

cepta Confirmationem a Summo Pontifice poſtularunt, & ante talem Confirmationem non cenſebantur habere vim obligandi ſuis legibus Univerſam Eccleſiam, nec recipiebantur univerſaliter ab ipſa Eccleſia.

14 In hac veritate fundatur celebris illa Generalium Conciliorum diviſio, quorum aliqua dicuntur ſimpliciter approbata, atque recepta ab Eccleſia: alia dicuntur ſimpliciter reprobata; alia demum partim approbata, partim reprobata. Primi generis ſunt, quæ confirmata ſimpliciter fuerunt auctoritate Summi Pontificis; ſecundi generis, quæ ab eadem auctoritate penitus ſunt rejecta: tertii demum generis, quæ partim confirmata ſunt, videlicet, quoad aliqua particularia ſtatuta, vel quoad aliquos Canones; partim rejecta, ſive quoad alia ſtatuta, alioſve Canones non confirmata.

15 Quia vero plures Canones, quos in Corpore Canonico habemus, deſumpti ſunt ex Conciliis Generalibus approbatis, placet hic eorumdem Conciliorum brevem catalogum texere, quod ſatis utile erit Juris Canonici ſtudioſo ad clariorem Sacrorum Canonum notitiam, quæ non raro facilius conſurgit ex notitia principiorum, unde Canones ipſi proceſſerunt.

SECTIO III.

De Conciliis Generalibus.

1 Concilia Generalia, quæ dicuntur etiam œcumenica, hoc eſt orbis terræ Concilia, a Summo Pontifice ſimpliciter approba-

ta,

ta, quæ hactenus in Eccleſia celebrata fuerint, omiſſis iis, quæ celebrata ſunt ab Apoſtolis, ſunt, quæ ſequuntur:

2 Primum Conc. eſt Nicænum, ita dictum, quia celebratum fuit Nicææ in Bithynia. Incepit anno Domini 327. ſeu ut alii malunt anno 325. & duravit tribus annis. Convocatum fuit auctoritate S. Silveſtri Summi Pontificis, qui eidem præſedit per ſuos Legatos Oſium Epiſcopum, Victorem, & Vincentium. Interfuere 318. Epiſcopi, & ipſe Imperator Conſtantinus Magnus, non tamquam Judex, ſed ut ſua Majeſtate pacem conciliaret, & promoveret. Cauſſa congregandi Concilii duplex fuit. Prima ut damnaretur hęreſis Ariana, quæ negabat Divinitatem Verbi Divini. Secunda ut reſolveretur vetus controverſia de die, in quo ab Eccleſia celebrari deberet Paſcha.

3 Secundum Concilium eſt Conſtantinopolitanum Primum celebratum 56. annis poſt Nicænum, hoc eſt anno Domini 383. ſeu juxta alios anno 381. tempore S. Damaſi Summi Pontificis, & Theodoſii Magni Senioris Imperatoris. Quamvis autem eidem Concilio nullus interfuerit ex Provinciis Occidentalibus, adhuc tamen recipitur ab Eccleſia tamquam legitimum, & Univerſale Concilium, quia eodem tempore Summus Pontifex Romæ coegerat Synodum Occidentalium, cunctiſque animis, atque ſententiis, quamvis loco diſtantes duæ illæ Synodi tamquam unica proceſſerunt. In hoc Concilio damnata fuit hęreſis Macedonii, qui Spiritus Sancti Divinitatem negabat. Interfuerunt autem Epiſcopi ex diverſis Provinciis 150.

4 Ter-

4 Tertium Conc. eſt Epheſinum celebratum anno Domini 434. vel ut alii malunt anno 431. Cęleſtino I. Summo Pontifice, & Theodoſio Juniore Imperatore. Convenerunt 200. Epiſcopi, quibus præfuit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus tamquam Pontificius Legatus. Cauſſa congregandi hujus Concilii fuit hæreſis Neſtorii, qui impie negabat B. Virginem eſſe Dei Matrem, & in Chriſto ponebat duas Perſonas inter ſe diſtinctas.

5 Quartum Conc. eſt Calcedonenſe, Leone I. Summo Pontifice, & Mariano Imperatore, anno 454. vel ut alii malunt anno 451. Interfuerunt 630. Epiſcopi. Cauſſa autem fuit ad damnandam hęreſim Eutichetis, qui unam tantum naturam in Chriſto dari aſſerebat.

6 Quintum Conc. eſt Conſtantinopolitanum II. Vigilio Summo Pontifice, & Juſtiniano Seniore Imperatore, anno Domini 553. Interfuerunt Epiſcopi 165. Cauſſa ejus congregandi fuit ad damnandas quaſdam propoſitiones Origenis, & tres libellos editos a Theodoro Mopſueſteno hęretico, a Theodoreto Cirenſi, & Iba.

7 Sextum Concil. eſt Conſtantinopolitanum III. inceptum ab Agathone Summo Pontifice, ſed terminatum, & approbatum a Leone II. Imperante Conſtantino IV. anno Domini 681. Interfuerunt 289. Epiſcopi, quibus Summus Pontifex per ſuos Legatos præſedit. In hoc Concilio damnata fuit hęreſis eorum, qui unam tantum voluntatem in Chriſto eſſe dicebant, unde vocabantur Monothelitæ.

8 Septimum Conc. eſt Nicænum II. celebratum anno Domini 781. vel ut aliis placet 787.

Adria-

Adriano I. Summo Pontifice, qui eidem Concilio per ſuos Legatos præſedit, & Conſtantino Imperatore, ac Irene ejus matre. Interfuerunt 350. Epiſcopi. Cauſſa hujus Concilii fuit, ut ſuſtineretur cultus Sacrarum Imaginum, qui ab Hęreticis Iconoclaſtis impugnabatur.

9 Octavum Conc. eſt Conſtantinopolitanum IV. quod celebratum fuit Adriano II. Summo Pontifice, & Imperatore Baſilio, anno Domini 870. Circa numerum Epiſcoporum variant Auctores. Illis præſedit Summus Pontifex per ſuos Legatos, qui fuerunt Donatus, & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. Fuit autem congregatum pro depoſitione Photii injuſte intruſi in Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & pro reſtitutione Ignatii Patriarchæ legitimi.

10 Nonum eſt Concil. Lateranenſe I. habitum anno 1123. Caliſto II. Summo Pontifice, & Henrico V. Imperatore. De numero Epiſcoporum non conſtat inter Auctores, cum aliqui ponant trecentos Epiſcopos, alii ſupra quadringentos, alii demum circiter mille. Coactum autem fuit pro recuperanda Terra Sancta contra Infideles, & pro componenda concordia inter Summum Pontificem, & Imperatorem.

11 Decimum eſt Lateranenſe II. celebratum anno 1139. Innocent. II. Summo Pontifice, & Conrado III. Imperatore: Interfuerunt 1000. Epiſcopi, & cauſſa ejus congregandi fuit, ut reſcinderentur acta cujuſdam Anacleti Antipapæ, & ut ſuſtineretur Baptiſma collatum Infantibus ante uſum rationis, cujus

va-

valor ab aliquibus hęreticis impugnabatur.

12 Undecimum eſt Lateranenſe III. celebratum anno Domini 1179. Alexandr. III. Summo Pontificę & Friderico I. Imperatore. Interfuerunt trecenti Epiſcopi. Coactum autem fuit pro deſtruenda hæreſi Albigenſium, & Vvaldenſium, & pro concernendis Schiſmaticis ordinatis per intruſos Pontifices.

13 Duodecimum eſt Lateranenſe IV. Innoc. III. Summo Pontif. & Friderico II. Imperat. anno 1215. Interfuerunt 412. Epiſcopi. Cauſſa ejus fuit ad damnandum hęreticalem errorem Abbatis Joachini circa Myſterium Trinitatis; qui tamen non fuit formaliter hęreticus, eo quod omnia ſua ſcripta ſubjecerit judicio Apoſtolicæ Sedis approbanda, vel corrigenda, & ad damnandum perverſiſſimum Dogma impii Almarici, ut videri poteſt in cap. 2. *Damnamus* 2. de Summa Trinit. & fide Catholica. Alia etiam cauſſa fuit pro moribus reformandis, & pro bello ineundo contra Saracenos, qui Terram Sanctam invaſerant. In hoc Concilio terminata fuit gravis controverſia de Patriarchatu Conſtantinopolitano, & cum reliqui Orientis Patriarchæ jam ſponte cederent Conſtantinopolitano, ad Græcorum animos conſtantius conciliandos, ſtatutum fuit, ut poſt Rom. Sedem primum dignitatis locum haberet Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſecundum Alexandrinus, tertium Antiochenus, quartum Jeroſolymitanus, quod prioribus temporibus negatum ſemper fuerat a Romanis Pontificibus, qui ſervari voluerunt Canonem primi Concilii Nicæni, quo decre-

tum

tum fuerat, ut poſt Rom. Sedem primus eſſet Patriarcha Alexandrinus, ſecundus Antiochenus.

14 Decimumtertium eſt Lugdunenſe primum celebratum anno 1245. Innocen. IV. Summo Pontifice, & Balduino II. Imp. Conſtantinop. Coactum autem fuit pro excommunicando Imp. Friderico II. & pro ſuſcipienda bellica expeditione ad Terram Sanctam.

15 Decimumquartum eſt Lugdunenſe ſecundum celebratum anno 1274. Greg. X. Summo Pont. & Redulpho Imp. In hoc Concilio expreſſe fuit definitum, ſeu declaratum id, quod Catholica Eccleſia profeſſa ſemper fuerat circa Proceſſionem Spiritus Sancti, videlicet Spiritum Sanctum æternaliter procedere ex Patre, & Filio; non tamquam duobus Principiis, ſed tamquam ex uno Principio, non duobus Spirationibus, ſed unica Spiratione, ut videri poteſt in cap. unico de Summa Trinit. & Fide cath. in 6. Interfuerunt autem ex diverſis Chriſtiani Orbis partibus Epiſcopi circiter quingenti.

16 Decimumquintum eſt Viennenſe in Gallia celebratum anno 1311. Clemente V. Summo Pont. & Henrico VII. Imperat. Coactum fuit ad examinandam cauſſam Militum Templariorum, qui de variis criminibus accuſabantur, & ad extirpandas varias hereſes. Ex hoc Concilio extant Decreta in corpore Juris, quæ dicuntur Clementinæ.

17 Decimumſextum eſt Florentinum (de Conſtantienſi, & Baſileenſi dicetur poſtea) Summo Pont. Eugenio IV. & Imp. Conſtantinopolitano Joanne Paleologo, qui eidem interfuit Concilio, anno 1438. Epiſcoporum 141.

Coa-

Coactum fuit pro componenda unione inter Eccleſiam Latinam, & Græcam.

18 Decimumſeptimum eſt Lateranenſe quintum celebratum 1512. quod inceptum fuit a Julio II. Summo Pontif. & terminatum a Leone X. Maximiliano Imper. Exorſum anno 1512. finem autem habuit anno 1517. Numerus Patrum, qui huic Concilio interfuerunt fuit minor, quam fuerit in ullo alio Concilio Generali, numquam enim ad 120. pervenit. Congregatum fuit pro deſtruendo conciliabulo Piſano; quod abſque auctoritate legitima coactum fuerat, & in ſchiſmatica acta procedebat. Definita, ſeu explicata fuit in eodem Conc. Catholica Veritas, qua docemur Animam rationalem eſſe immortalem, nec unam eſſe in pluribus hominibus, ſed totidem numero, quot ſunt homines. In eodem Conc. ſtatuta ſunt Concordata inter Rom. Pontificem, & Galliæ Regem, ſpectantia præſertim ad præſentationem, & collationem Beneficiorum.

19 Decimumoctavum & ultimum Generale Concilium eſt Tridentinum inchoatum anno 1545. & terminatum anno 1563. tempore Summorum Pontificum Pauli III. & Pii IV. & Imperatorum Caroli V. ac Ferdinandi I. ad deſtruendas Lutheri, aliorumque ejus temporis hæreticorum errores, nec non pro morum reformatione.

20 Iſta ſunt Oecumenica, ſeu Generalia Concilia Sedis Apoſtolicæ ſimpliciter approbata, atque ſimpliciter recepta ab omnibus Catholicis, quæque conſtituunt primam claſſem Conciliorum juxta diviſionem a nobis traditam circa finem ſectionis præcedentis.

21 Inter Concilia, quæ dicuntur partim approbata, & partim non approbata, numerantur potiſſimum Francofordienſe, Conſtantienſe, & Baſileenſe. Concilium Francofordienſe coactum fuit anno 794. Adriano I. Summo Pontif. in Civitate Francofordienſi ad Mœnum. Hoc Concilium confirmatum fuit ab Adriano quantum ad eam partem, in qua definiverat Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptivum; ſed reprobatum fuit quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnaverat ſeptimam Synodum.

22 Aliud eſt Concilium Conſtantienſe coactum anno 1414. tempore ſchiſmatis, quo tres ſe gerebat tamquam Pontifices in Eccleſia, Imperatore Sigiſmundo. Cauſſa ejus celebrandi fuit ad extinguendum idem ſchiſma, & ad damnationem VVicleffi, Joannis Hus, ac Hieronymi de Praga. Hoc Concilium quoad priores ſeſſiones, ubi videbatur indicari Concilium Generale habere poteſtatem ſupra Pontificem, non fuit approbatum a Martino V. immo fuit reprobatum in Conc. Florentino, ac Lateranenſi ultimo; quantum autem ad ultimas ſeſſiones, & ad decreta in materia fidei conciſtorialiter ſtatuta, quæ Martinus V. approbavit, recipitur ab omnibus Catholicis.

23 Aliud denique eſt Concilium Baſileenſe inchoatum anno 1431. & per 18. fere annos continuatum. Hoc Concilium utcumque in prima ſui convocatione legitimum fuerit, ſtatim tamen, ac indebitam auctoritatem ſibi arrogavit ſupra Rom. Pontificem, deſiit eſſe legitimum, & habitum fuit, tamquam Schiſmaticum Conciliabulum, unde omnia ejus decreta reſciſſa ſunt, exceptis tantummodo quibuſdam diſpoſitionibus

bus circa beneficia Eccleſiaſtica, quæ diſpoſitiones approbatæ fuerunt a Nicolao V. Summo Pontifice. Ipſum vero Concilium reprobatum fuit in Conc. Later. ultimo.

TITULUS II.

De Regulis in quinto Decretalium.

1 Abſoluta procemiali tractationis Juris Canonici in Univerſali, & poteſtatis Juris, per quam condi poteſt, antequam deſcendamus ad magis particularia ejuſdem Juris, quæ in primo libro continentur, prævertimus titulum hic explicandum de Regulis Juris, qui extat in quinto Decretalium, & in ſexto, in quo titulo ponuntur generalia quædam pronuntiata, ex quibus pleræque controverſiæ legales facile reſolvuntur. Quemadmodum enim in reliquis ſcientiis, & artibus, ut ordinatim, & facilius addiſcantur, ſolent præmitti certa quædam principia, quæ tamquam fundamenta ſint, & a quibus numquam diſcedatur; ita pariter, ut Sacrorum Canonum doctrina facilius, & ſolidius acquiratur, magnopere conducit intime cognoſcere regulas illas, quæ tamquam fundamenta ſunt, & univerſalia principia, in quibus totius quaſi Juris theſaurus delireſcit, unde viam aperiunt de quavis fere cauſſa confeſtim, & ex tempore, aut certe facilius reſpondendi. Propterea plures DD. hortantur omnes ſtudioſos Juris, ut abſolutis Inſtitutionibus primam operam ponant in addiſcendo titulo de Regulis Juris, & de verborum ſignificatione.

2 Regula generaliter ſumpta comprehendit quidquid modum, ordinemque præſcribit recte vivendi, unde ſub hac generali acceptione quælibet lex, ſive Canonica, ſive Civilis dici poteſt Regula, quia quælibet lex ita dirigit ſubditos ad recte vivendum. Inter reliquas tamen leges humanas, nomen regulæ ſibi ſpecialiter vindicarunt leges illæ, quæ ſub titulo de regulis Juris continentur; quia videlicet id, quod in aliis legibus particulariter decernitur, in iſtis univerſali, & compendioſa collectione concluditur: unde videntur eſſe quaſi quoddam compendium Legum omnium, in quo cernere liceat tum quid reſolutum ſit in caſibus expreſſis in toto corpore Canonico, tum etiam quid reſolvendum ſit à Doctoribus in caſibus non expreſſis. Et in hoc ſenſu loquuntur Doctores quando dicunt, regulas Juris jungere ſimul plures caſus clavo rationis.

3 Regula ita ſumpta definitur, ſeu deſcribitur ex lib. 1. ff. de diverſis reg. Juris, ea, quæ rem, ſeu jus fuſius antea explicatum breviter enarrat aliqua definitione, & ſententia univerſaliter complectente plures caſus, pro quibus militat identitas rationis, & omnimoda paritas, atque convenientia. Quod autem additur in cit. l. 1. non ex regula jus ſumi, ſed ex jure, quod eſt, regulam fieri; nihil aliud ſignificat, quam quod particulares leges, quæ in corpore Juris reperiuntur, non ſint deſumptæ ex regulis juris, ſed potius e converſo regulæ juris deſumptæ ſint, atque formatæ ex aliis legibus jam ante conſtitutis. Exemplo rem explico. Statutum fuerat in cap. *Si eo tempore* 9. de reſcrip. in 6.

non

non poſſe provideri beneficium Curatum alicui jam habenti legitimam ætatem, ſi, quando impetravit reſcriptum de illo providendo, nondum erat habilis ob defectum legitimæ ætatis. Item in cap. *Auditis* 29. de Electione, decretum fuerat Electionem a minore parte Capituli factam non valere, nec ratificari poſſe per ſubſequentem conſenſum. Ex his, aliiſque textibus, in quibus aliquid ſimile in diverſis particularibus materiis ſtatutum fuerat, formata eſt hæc generalis regula juris: ***Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit***. Demum hic proportionaliter de aliis regulis Juris. Et in hoc ſenſu dicuntur regulæ Juris non conſtituere jus novum, ſed ſumi, & colligi ex jure jam ante conſtituto. Ubi tamen adverte hoc intelligi debere de regulis Juris relate ad caſus in corpore Juris expreſſos, & independenter a regulis reſolutos. Si enim contingat aliquis caſus non expreſſus in corpore Juris, pro quo caſu militet omnimoda paritas rationis, & convenientiæ, tunc ipſa regula juris facit jus pro reſolutione ejuſdem caſus, ut notat Gloſ. in rubr. de reg. juris in 6. & Doctores communiter.

4 Omnibus igitur Juris regulis commune eſt plures ſimul caſus, ſive jam reſolutos, ſive ex rationis identitate, & convenientia ſimiliter reſolvendos in ſua generalitate concludere; & propterea omnes regulæ exprimuntur per voces univerſales, aut ſaltem per verba indefinita, quæ, quando reperiuntur in lege, æquivalent Univerſalibus, ut docet communis Doctorum ſententia cum Gloſ. in c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ut circa 4. de Eloc. in 6. v. *aliorum*. Ejuſmodi tamen verborum generalitas non ita intelligenda eſt, quaſi ad omnes omnino caſus extendantur abſque ulla exceptione; vulgatum enim eſt proverbium illud: *nulla regula eſt ſine exceptione*. Jam vero talis exceptio tunc admittenda eſt in regulis Juris in aliqua particulari materia, quando vel circa illam aliquid contrarium expreſſe per aliquam legem ſtatutum ſit, vel detur aliqua diſparitas rationis, aut diverſitas circumſtantiæ. Exemplum primi habes in reg. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*; quæ exceptio vel patitur in eo, qui in hoſtium captivitatem inciderit, qui quamvis nihil poſſideat, ſed potius poſſideatur l. *Cum Heredes* 25. 5. *in his* ff. de acquirenda poſſeſſione: attamen præſcriptionis privilegium non amittit, quia ita expreſſe decernitur in ead. l. *cum heredes*, & in l. *Juſto* 44. 5. ul. ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus. Exemplum alterius habes in reg. *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*; quæ exceptionem habet in matrimonio, quod quamvis naſcatur ex mutuo conjugum conſenſu, non tamen diſſolvitur per contrarium utriuſque diſſenſum: quia ſcilicet in matrimonio recipitur particularis circumſtantia Sacramenti, quod ex inſtitutione divina eſt indiſſolubile.

5 Quæres in quo ſenſu dicatur id, quod communiter dici ſolet. *Exceptio firmat regulam?* Reſpondetur, ſenſum eſſe, quod exceptio confirmat vim, & extenſionem regulæ pro caſibus non exceptis: cum enim munus regulæ ſit ſub ſua generalitate omnes caſus includere, ſi

ali-

aliqui tantum caſus ſpecialiter excipiantur, efficaciter infertur alios caſus remanere ſub regula. Quænam autem ſint particulares exceptiones regularum, indicabitur ſuis locis.

SECTIO II.

Regulæ Juris in quinto Decretalium.

REG. I.

Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

1 Hic textus tribuitur Chryſoſtomo in hom. 32. operis imperfecti in Matthæum, ſed auctoritate Gregorii IX. poſitus in corpore Juris, vim legis habet, & eſt prima regula ejuſdem Juris. Conſonat huic regulæ Canonicæ ſimilis regula Juris Civilis, quæ ita ſe habet: *Nihil tam naturale eſt, quam eodem genere, quodque diſſolvere, quo colligatum eſt. Ideoque verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſolvitur*, reg. 35. ff. de diverſis reg. Juris.

2 Senſus hujus regulæ eſt, omnem rem, hoc eſt, ut explicant Panor. aliique Doctores communiter, omnem obligationem temporalem diſſolvi per idem genus cauſſæ per quod contracta fuerat; unde ſi aliqua talis obligatio contracta fuerat per conſenſum, diſſolvitur per diſſenſum, ut eſt exemplum in c. 2. de Sponſalibus, ubi dicitur, quod ſponſalia contracta mutuo conſenſu utriuſque ſponſi per verba de futuro, diſſolvuntur per contrarium

 utriuſ-

utriuſque diſſenſum. Item obligatio orta ex pacto per aliud contrarium pactum abrogatur ex l. *Si unus* 27. §. *pactus* ff. de Pactis. Item teſtamentum alio contrario teſtamento rumpitur, l. 1. & 2. ff. de injuſto rupto, &c. & ſic de aliis ſimilibus.

3 Dixi *omnem obligationem temporalem*. Si enim ſermo ſit de aliqua obligatione, quæ temporalis non ſit, ſed perpetua, vel ex natura ſua, quales ſunt aliquæ obligationes naturales, vel ex inſtitutione Divina, qualis eſt obligatio ſtatus matrimonialis legitime contracti per verba de præſenti; talis obligatio utcumque contracta ſit per liberum, & mutuum conſenſum, nequit tamen diſſolvi per diſſenſum contrarium. Idem dic in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, quorum effectus eſt irrevocabilis.

4 Addo quod etiam intra genus obligationis temporalis patitur regula exceptionem aliquam in quibuſdam caſibus, pro quibus eſt expreſſe ſtatutum in Jure ut obligatio auferri non poſſit ab ea poteſtate, per quam poſita fuit. Sic in quibuſdam caſibus poteſt quidem Epiſcopus cenſuram ferre, non tamen poteſt abſolvere, ut notat Panor. ad reg. 1. de reg. Juris in fine, ac deduci poteſt ex c. *Cum inferior* 16. de Majoritate, & Obedientia. Ut igitur valeat regula, debet res, ſeu obligatio poſita non eſſe perpetua, ſive ex natura ſua, ſive ex inſtitutione Divina: item pendere debet in conſervari ab ea cauſſa, per quam poſita eſt, ita ut ejus conſervatio, vel deſtructio non ſit reſervata poteſtati ſuperiori.

5 De poſſeſſione controvertitur inter Doctores,

res, utrum a Regula excipiatur; hoc eſt utrum per eaſdem tantum cauſſas, per quas naſcitur, diſſolvatur. Ratio dubitandi eſt, quia ex una parte poſſeſſio rei non acquiritur, niſi corpore, ſimul & animo, hoc eſt, niſi corporali apprehenſione rei, & ſimul animo habendi ſibi aut ſuo nomine eamdem rem, ut eſt conſtans Juriſtarum opinio fundata in l. *Poſſideri* 3. ff. de acquirenda poſſeſſione: Ex altera parte non conſtat, poſſeſſionem amitti pariter non poſſe, niſi corpore, ſimul & animo, hoc eſt niſi deſerendo rem, & ſimul deponendo animum habendi eam ſibi, aut ſuo nomine. Immo circa hanc materiam dari videtur leges inter ſe contrarias, nam in cit. l. *poſſideri* §. *in amittenda* dicitur poſſeſſionem amitti ſolo animo poſſe; quamvis ſolo animo acquiri non poſſit. Verba legis ſunt, quæ ſequuntur: Itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſſidere, protinus amittes poſſeſſionem. Igitur amitti & animo ſolo poteſt quamvis acquiri non poteſt. In contrarium autem eſt l. *quemadmodum* 8. ff. eod. quæ ita ſe habet: *quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri niſi animo, & corpore poteſt; ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt*, cui legi conſonat etiam l. *fere* 195. ff. de diverſis regulis Juris.

6 Ad conciliandam talem contrarietatem plures reſponſiones afferuntur a Juriſtis, quarum aliquæ videri poſſunt in Gloſ. in cit. l. *poſſideri* §. *In amittenda* v. *animo ſolo*. Nobis ea probabilior eſſe videtur; quæ diſtinguit inter poſſeſſionem civilem, & inter poſſeſſionem mere naturalem, de qua diviſione ſermo eſt in l. *Nemo* 10. C. de acquirenda poſſeſſione. Poſſeſſio

civilis, quæ etiam vocatur poſſeſſio Juris, eſt, cum quis rem detinet, animo eam ſibi retinendi tamquam dominus. Poſſeſſio naturalis dicitur, cum quis rem retinet citra animum, affectionemque actualis dominii proprii, ut eſt exemplum in retinente depoſitum, in uſufructuario, in eo, qui poſſideat alieno nomine. His ſuppoſitis, ſi ſermo ſit de poſſeſſione civili, per quam ſcilicet quis rem proprio nomine poſſidet, tamquam dominus, ſicut ea non acquiritur, niſi corpore ſimul & animo, ita nec amittitur niſi utroque: Excepto tamen caſu, in quo quis, qui prius rem poſſedit nomine proprio, conſtituat eamdem rem poſſidere nomine alterius, quia tunc quamvis adhuc rem ipſam detineat, animo tamen poſſeſſionem amiſit, quæ translata eſt in alium, cujus nomine poſſidet, & de hoc caſu videtur eſſe ſermo in cit. l. *poſſideri* §. *in amittenda*. Si autem ſermo ſit de poſſeſſione mere naturali, quæ conſiſtit in mera detentione rei abſque animo eam poſſidendi jure dominii, continetur ſub regula, quia tale genus poſſeſſionis ſicut acquiritur ſola apprehenſione rei, nec requiritur animus ſe abdicandi dominio, ſed ad ſummum animus deponendi eamdem rem, ita & ſola rei depoſitione diſſolvitur. Hæc dicta ſint obiter, quia de hac materia fuſius tractatur a Juriſtis, ubi agitur de poſſeſſione.

R E G. I I.

Eſtote miſericordes.

HOc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpre-

pretemur. Quod enim ſcriptum eſt, ex fructibus eorum cognoſcetis eos, de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri, ut ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietates, & ſimilia: de quibus nobis permittitur judicare.

1 Hæc regula deſumpta eſt ex Beda lib. 2. in Lucam cap. 24. Senſus autem ejus clarus eſt: ſignificatur enim quod quotieſcumque aliquod geſtum appareat, de quo non conſtet, utrum ſit peccatum nec ne; tale dubium interpretari debeamus in meliorem partem, ita ut numquam proximum judicemus ex iis actionibus, de quibus non conſtat, quod animo pravo fiant.

2 Neque facit in contrarium, quod ſic interpretantes dubia in meliorem partem, contingere frequenter poſſit, ut fallamur. Reſpondetur enim cum S. Th. 2. 2. q. 60. art. 4. melius eſſe, quod aliquis frequentius fallatur habens opinionem non malam de homine non malo, quam quod rarius fallatur habens opinionem malam de homine non malo, quia ex hoc fieret injuria alicui: non item ex primo. Videantur ibid. S. Thom. & Theologi Morales, ubi tractant de judicio temerario.

R E G. I I I.

Qui ſcandalizaverit, &c. Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.

1 SEnſus hujus regulæ, quæ deſumpta etiam eſt ex Beda in Marcum cap. 9. eſt, quod veritas omittenda non ſit propter ſcan-

dalum evitandum. Dividitur in duas partes; quarum prima ponit verba Evangelica ibi: *Qui ſcandalizaverit*: ſecunda habet verba Bedæ exponentis, ibi *Utilius*. Caſus proponi poteſt ex can. *Inter verba* 53. 11. q. 3. de ſcandalo Judæorum, de quibus dixit Dominus. *Sinite illos: cœci ſunt, & duces cœcorum*.

2 Ad clariorem intelligentiam regulæ, nota ex Gloſſa hic, ſub nomine veritatis, triplicem veritatem ſignificari, nempe veritatem vitæ, veritatem juſtitiæ, & veritatem doctrinæ, ſeu diſciplinæ. Veritas vitæ eſt morum rectitudo, quæ ad quemlibet pertinet; Veritas juſtitiæ eſt recta adminiſtratio juſtitiæ, quæ pertinet ad Judicem; Veritas doctrinæ, ſeu diſciplinæ eſt recta forma regiminis, ſeu gubernationis, quæ pertinet ad Prælatum, ſeu Superiorem. Jam vero in hoc triplici genere veritatis aliqua dantur, quæ ſunt de neceſſitate, eo quod ſint præcepta, vel prohibita, itaut omitti, aut committi non poſſint abſque peccato ſive mortali, ſive veniali; aliqua tamen dantur, quæ ſunt tantum de conſilio, itaut omitti, aut committi poſſint abſque ullo peccato.

3 His ſuppoſitis, ſi ex eo genere rerum ſecuturum ſcandalum timeatur, ad quas datur obligatio ſub peccato, ſive in veritate vitæ privatæ, ſive in veritate juſtitiæ, ſive in veritate diſciplinæ, tunc juxta regulam permitti potius debet ſcandalum, quàm talis veritas relinquatur, unde in can. *ne quis* 14. 22. q. 2. dicitur non eſſe mentiendum, ut proximus evitet aliquam gravem injuriam, quod idem habetur etiam in can. *Si quis* 17. per hæc verba: *Si quis ad te confugerit, qui de mendacio tuo poſ-*

poſſit a morte liberari, non es mentiturus. Si autem ſcandalum timeatur ſecuturum, ex eo genere rerum, ad quas nulla datur obligatio ſub peccato, tunc a tali re abſtinendum erit, ut ſcandalum evitetur, unde dixit Apoſtolus: *ſi ſcandalizatur frater, non comedam carnes in æternum*, ut habetur in cap. 2. de novi operis nuntiatione. Quin & aliquando ex Charitate ad aliquod ſcandalum proximi evitandum, diſſimulari debet, vel dimitti aliquid, quod eſt de conſilio, puta ex caritate ad ſcandalum alterius evitandum omitti aliquando debet jejunium voluntarium, ad quod nulla detur obligatio ſub peccato, &c.

R E G. I V.

Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.

NAm & Sabbatum cuſtodiri præceptum eſt; Machabæi autem ſine culpa ſua Sabbato pugnabant; ſic & hodie, ſi quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.

1 Hæc etiam regula deſumpta eſt ex Beda cap. 2. in Marcum, ejuſque ſenſus eſt neceſſitatem reddere licitum id, quod ceteroquin eſſet illicitum in lege. Dividitur in duas partes: primo enim ponitur generale dictum, ſecundo afferuntur exempla, ibi *nam & Sabbatum.*

2 Pro clariori intelligentia regulæ, notandum eſt, dari duplex genus illiciti in lege: aliud enim eſt illicitum in lege poſitiva, ſive divina, ſive humana, quale eſt quidquid committitur contra legem poſitivam, & dicitur malum, quia prohibitum, quia ſcilicet non eſt ma-

malum ex natura ſua, ſed ſolum, quia prohibetur per legem poſitivam: aliud autem eſt illicitum in lege naturali, ut eſt quidquid committitur contra legem divinam naturalem, & dicitur prohibitum, quia malum, quia videlicet natura ſua malum eſt, & ideo per legem naturalem prohibetur.

3 Jam vero ſenſus regulæ non procedit circa illicita in lege naturali; quia quod eſt illicitum in tali lege, nulla neceſſitas facit licitum, unde nec pro toto mundo lucrando, nec pro vita propria ſervanda licitum eſt tranſgredi præcepta Decalogi: juxta illud Chriſti Domini, Lucæ 9. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, &c.* Procedit igitur ſolum circa illicita in lege poſitiva, quæ de ſola ſui natura non ſunt mala, ſed tantummodo mala ſunt, quia per legem poſitivam prohibita, ut clare deducitur ex exemplis adductis a regula, quorum unum eſt circa opus exercitum in die Sabbati, quod erat prohibitum in lege Veteri per legem divinam poſitivam, & excuſatur in pugna Machabæorum ratione neceſſitatis; alterum autem eſt circa comeſtionem carnium in diebus prohibitis per legem poſitivam Eccleſiaſticam, quæ pariter ratione neceſſitatis excuſatur in ægroto.

4 Ratio diſparitatis eſt: quia illicita primi generis, cum habeant intrinſecam ſibi malitiam, in nullo umquam caſu committi poſſunt ſeparata a ſua malitia; actio autem mala, etiam in caſu neceſſitatis numquam committi poteſt: at vero illicita ſecundi generis, cum non habeant infra ſibi malitiam, adeoque ſeparari poſſint ab omni malitia, committi poſſunt, quando

do de facto contingat illa ab omni malitia ſeparari, ſicut de facto ſeparantur in caſu gravis neceſſitatis; quia pro tali caſu non præſumitur ſuperior velle obligare per ſuam legem poſitivam.

R E G. V.

Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

1 HÆc regula tribuitur Greg. VII. cui etiam conſonat tota rubrica *ff. quod vi, aut clam*. Ratio autem, quare ita decernatur de iis, quæ latenter fiunt, eſt, quia, quæ ita fiunt ſunt vehementer ſuſpecta de malo, juxta illud Chriſti Domini Joan. 3. *Omnis, qui agit male, odit lucem*. Adde quod idem procedit etiamſi ceteroquin id, quod latenter fit, non ſit de natura ſua injuſtum; quamvis enim alicui competat jus ad aliquid faciendum, puta ad ædificandum in ſolo proprio, quod tamen ab alio actualiter poſſideatur, ſi latenter ędificet, ſubjacet interdicto reſtitutorio, quo jubetur factum opus deſtruere, quia illa fraudulenta ædificatio redundat in injuriam alterius. Ita expreſſe habetur in *l*. 1. *ff. quod vi aut clam*.

2 Idem Juris eſt circa ea, quæ per vim illicitam introducuntur; ea enim vel ipſo jure irrita ſunt, vel ſaltem irritari debent, tum ne quis commodum ex ſua violentia, & iniquitate reportet; tum ut ſubveniatur oppreſſioni alterius, qui vim paſſus eſt. Huc etiam faciunt omnes textus, qui ſunt ſub titulo *De his, quę vi, metuſve cauſſa* in primo Decretalium. Videri

deri etiam poſſunt Juriſtæ in cit. titulum, *ff. quod vi, aut clam.*

REG. VI.

Cum in contemplatione: & infra. *In ipſo cauſſæ initio non eſt quæſtionibus inchoandum.*

1 HÆc etiam reg. tribuitur Gregorio VII. ejuſque ſenſus, juxta communem Doctorum interpretationem, eſt, initio cauſæ non eſſe incipiendum a tormentis, niſi præcedant aliquæ pręſumptiones, ſeu ſemiplenę probationes: nomine enim quæſtionis hic intelligitur veritatis indagatio per tormentum, quæ adhiberi ſolet in judiciis præſertim criminalibus, de qua re extat rubr. 18. in lib. 48. ff.

2 Quod ſi quæras, quidnam requiratur ut in talibus judiciis procedi poſſit ad tormentum? Reſpondetur cum Panorm. hic, & Doctoribus communiter, duo requiri: primo ut ad cognitionem veritatis aliter deveniri non poſſit, quam per tormentum, juxta *l. Divus Pius 9. ff.* de quæſtionibus. Secundo requiritur, ut pręcedant aliqua indicia, ſive præſumptiones, ſeu ſemiplenæ probationes, juxta lib. 1. ff. eodem. Quænam vero indicia cenſenda ſint ſufficientia, relinquendum eſſe Judicis arbitrio, aſſerit Panor. hic n. 2. Sed hæc pertinent ad criminalium judiciorum tractatores, apud quos fuſius examinata videri poſſunt.

REG.

REG. VII.

Quæ multoties: & infra. *Quidquid in Sacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputatur, quia ſacra ſunt, & a quoquam violari non debent.*

1 Deſumpta eſt hæc regula ex S. Stephano I. Epiſt. 2. ejuſque ſumma eſt, Sacrilegum eſſe, qui rem, vel perſonam Eccleſiaſticam offendit. Ubi nota, duplicem dari Sacrilegii ſpeciem, quarum una committitur contra res, altera contra perſonas. De Sacrilegio, ejuſque ſpeciebus fuſe tractant Theologi Morales. Inter reliquos videri poteſt S. Thom. 2. 2. quæſt. 99. art. 3.

REG. VIII.

Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit, & ideo jam non facit.

1 Hæc regula deſumpta eſt ex S. Auguſtino, ac per eam ſignificatur, qui obſervat præceptum ex timore, & aliter quam debeat, non dicitur obſervare præceptum, quia ex tali obſervantia non meretur; Deus enim non ſolum reſpicit quod fit, ſed etiam quo animo fit.

2 Ad intelligentiam hujus regulæ, notandum eſt timorem hic reprobatum, non eſſe quemcumque timorem, ſed determinate timorem ſervilem, per quem quis obſervat præceptum dumtaxat timore pœnæ, itaut ſi timor ille non urge-

urgeret, eo ipſo non ſolum non poneret illud opus præceptum, ſed poneret opus contrarium, circa quod habet complacentiam. Si quis ita operetur, non operatur, ut debet, neque quidquam meretur.

R E G. I X.

Defleat peccato, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.

1 VEritas hujus regulæ conſtat in Sacris litteris, unde deſumitur, videlicet ex epiſtola Canonica Jacobi cap. 2. Senſus autem hujus regulæ non eſt, quod qui contra unum aliquod particulare præceptum peccet, eo ipſo incurrat æqualem omnino culpam, aut pœnam, quam incurreret, ſi contra omnia præcepta peccaret: certum eſt enim peccata eſſe inter ſe inæqualia. Senſus igitur eſt, quem indicat Gloſs. & alii in dicta Epiſtola Jacobi, videlicet offendentem in uno, fieri omnium reum, quoad pœnam æternam damni, quia ſcilicet ſicut pęnam illam incurreret, qui omnia pręcepta violaret, ita eamdem incurrit, unum grave præceptum violando. Idem explicat Chryſoſtomus hom. 35. exemplo hominis toto corpore armati, excepta una parte, in qua lethalem plagam accipiat, quæ illum occidit, ſicut ſi in ceteris omnibus lethale vulnus accepiſſet. Cum toto tamen hoc ſtat diverſitas pęnæ majoris, vel minoris pro majori, vel minori numero, aut gravitate culparum, quia eadem illa pœna poteſt in diverſis quoad intenſionem diverſificari.

REG. X.

Quamvis cauſſæ: (& infra) *Non enim poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.*

1 HÆc regula deſumpta eſt ex Regiſtro Epiſtolarum S. Gregorii lib. 2. Epiſt. 52. Intentum ejuſdem regulæ eſt, non excuſari Prælatum prætextu ignorantiæ, ſi ejus oves pereant, quia tenetur vigilare, indagare, & prçcavere: quod extenditur etiam ad alias materias in eo, qui alicujus rei cuſtodiam ſuſceperit: hic enim ſi exactiſſimam diligentiam non adhibuerit, periculum ejuſdem cuſtodiæ præſtat, & tenetur de culpa, juxta textum, expreſſum in l. *qui mercedem* 40. ff. *locati*, & juxta plures textus ſub rubrica ff. Nautę, Caupones, &c.

REG. XI.

Indignum eſt, & a Romanæ Eccleſiæ conſuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur.

1 HÆc regula tribuitur Lucio III. ejuſque ſenſus eſt pro Spiritualibus, puta pro beneficiis, aliiſque Eccleſiaſticis rebus, Clericum ad homagium ſuo Prælato præſtandum non eſſe compellendum.

2 Pro intelligentia regulæ notandum eſt ex Panor. hic n. 2. nomine homagii intelligi juramentum illud fidelitatis, quod concernit temporalia, &c. per quod jurans ſe conſtituit quaſi hominem illius, cui jurat, & ejus Vaſſallum, ut oſten-

oſtendit ipſa vox homagii, quod eſt quaſi hominis ligium, quia ſcilicet per illud quaſi homo ligatur ad aliqua temporalia, & obligatur illi, cui jurat, tamquam ejus Vaſſallus; tale juramentum, & talis obligatio obſequii temporalis præſtari a Clerico non poteſt pro ſpiritualibus Epiſcopo ſuo, quia continet aliquam labem ſimoniæ, pro quâ re eſt notabilis textus in *c. Ex diligenti* 16. de Simon. Niſi tamen aliquid ab eo recipiat in feudum, pro quo præſtatur juramentum fidelitatis Domino feudi, ut docet Panor. in c. *Gravem* 15. de Exceſſib. Prælat. in fine, & in cap. *Ex tranſmiſſa 6.* de foro competenti n. 3. cujus juramenti formam habes in c. *de forma* 18. 22. q. 5. & in libris feudor. ſub tit. *de nova forma fidelitatis*.

3 Secus eſt de juramento obedientiæ, ac fidelitatis, quod concernat tantum ſpiritualia, & per quod Clericus obligetur Prælato ſuo ad obedientiam, & obſervantiam illam, quæ de jure debetur Prælato tamquam Patri, & Paſtori ſpirituali, quod juramentum appellatur etiam nonnumquam lato modo homagium, ut eſt exemplum in cit. c. *Gravamen* 15. de Exceſſib. Prælator. Tale enim juramentum per hanc regulam non excluditur: ut docet Panor. in hanc regul. n. 2. ex c. *quamquam* 7. diſt. 23. & ex c. *Nullus* 5. de Jurejurando.

TITULUS III.

De Regulis Jure in 6.

Regulæ, quas hactenus in præc. titulo paucis explicavimus, extant in 5. libro Decretalium antiquarum. Aliæ multò plures, & mul-

multo uberiorem doctrinam continentes reperiuntur in 6. poſitæ a Bonifacio VIII. quarum plures deſumptæ ſunt ex Jure Cæſareo. Illas itaque hoc loco breviter explicandas ſuſcipimus; quod præclaræ utilitatis erit ad clariorem intelligentiam totius ſcientiæ Canonicæ, & ſimul plurium materiarum ſpectantium etiam ad Jus civile, unde regulæ plures deſumptæ ſunt.

REG. I.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri.

1 HÆc regula eſt Bonifacii VIII. ac deſumitur ex c. *Ex frequentibus*, 3. de Inſtitutionibus, ex c. *relatum* 21. De jure Patronatus, &c. Caſus figurari poteſt ex can. *Si quis deinceps* 12. 16. q. 7. ubi decernitur, ut ſi quis Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei, ut Epiſcopo, ſeu Abbati audientia concedatur; quia ſcilicet ſuſceptio beneficii de manu laicæ perſonæ non eſt de Inſtitutione Canonica.

2 Ad clariorem intelligentiam regulæ nota primo cum Gloſs. hic v. *Beneficium*, in hac regula nomen beneficii Eccleſiaſtici amplo modo ſumi debere, itaut complectatur quodcumque beneficium, quod habeatur in titulum, ſive ſit beneficium ſimplex, ſive non ſimplex, ſive curatum, ſive non curatum, quia pro omnibus militat eadem ratio honeſtatis, per quam decet Eccleſiaſtica beneficia, non ab alio, nec aliter conferri, quam ab habente Eccleſiaſticam poteſta-

teſtatem, & juxta modum a Sacris Canonibus ſtatutum.

3 Nota ſecundo, nomine inſtitutionis Canonicæ hic generaliter intelligi collationem quamlibet Juris beneficialis, quæ ſit per Sacros Canones approbata, atque procedat a poteſtate legitima conferentis. Multiplicis enim generis reperitur in ſacris Canonibus beneficiorum collatio: aliquando enim beneficia conferuntur media electione, vel poſtulatione capitulari, aliquando media præſentatione Patroni, aliquando demum per liberam collationem Superioris, de quibus extant in Jure Canonico ſpeciales rubricæ. Jam vero, ut Eccleſiaſticum beneficium valide ſimul ac licite obtineatur, requiritur, ut quodlibet eo modo, ac ſollemnitate obtineatur, ſicut ſtatutum eſt per Sacros Canones. Quare ſi peccatur vel ex parte conferentis, puta ſi inſtitutio, ſeu collatio beneficii fiat ab eo, qui poteſtatem inſtituendi non habet, qualis eſt v. g. Laicus; vel ſi peccetur ex parte ejus, cui beneficium confertur, quia ſcilicet ejuſmodi Inſtitutionis capax non eſt; vel demum ſi peccetur in forma, puta committendo defectum in eo genere rerum, quæ pro forma inſtitutionis ſubſtantialiter requiruntur; in tali caſu beneficium taliter obtentum, non retinetur legitime; ſiquidem inſtitutio illa defectuoſa fuit irrita, & ſine effectu.

4 Nota tertio. Inſtitutionem beneficiorum, quæ non ſint reſervata Pontifici, pertinere de jure communi ad Epiſcopum, juxta ea, quæ ſupra diximus in prima parte Inſtitutionum noſtrarum cap. 8. pro quo facit etiam c. *Cum ex injuncto* 12. de hæreticis in fine. Neque obſtat

quod

quod in c. *Ad hæc* 7. de Off. Archidiaconi dicatur quod inſtitutio corporalis tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad Archidiaconum debeat pertinere, quia ut explicat Gloſs. in preſenti regula v. *beneficium* nomine inſtitutionis corporalis ſuper beneficiis intelligitur ibi corporalis inveſtitura, ſeu actualis miſſio in poſſeſſionem.

5 Quæri poteſt: quid, ſi contingat aliquem obtinuiſſe beneficium abſque ſufficienti titulo, & ſine aliquo requiſito ſubſtantiali ad inſtitutionem Canonicam; hoc tamen non obſtante beneficium longo tempore pacifice poſſederit; numquid privilegio illius longe poſſeſſionis convaleſcit titulus, quo mediante cenſeri debeat canonice poſſidere? Ratio dubitandi eſt; quia eſt privilegium longæ poſſeſſionis, ut, ea mediante, legitimum rei poſſeſſæ dominium acquiratur, ut conſtat ex rubrica de preſcriptionibus in 2. Decretalium, & ex ff. de uſurpationibus & uſucapionibus, de quo etiam dicetur aliquid a nobis in regulis ſequentibus: ergo ſi beneficium aliquod longo tempore poſſideatur, quantumvis abſque Inſtitutione Canonica obtentum fuerit, terminato tempore ad præſcriptionem requiſito, legitime poſſidebitur.

6 Reſpondetur tamen nudam poſſeſſionem beneficii, quæ ex canonica inſtitutione non dimanaverit, quamvis per 30. & amplius annos pacifice continuata fuerit, numquam dare titulum verum, & proprietatem ſuper beneficio. Ratio eſt: quia quod per rei poſſeſſionem longo tempore continuatam acquiratur plenum dominium ejuſdem rei, introductum fuit a Jure poſitivo, ne dominia rerum eſſent nimis incerta,

&

& litibus obnoxia: quare in iis ſolum caſibus concedi debet tale privilegium longæ poſſeſſioni, in quibus conceditur a Jure poſitivo: atqui nudæ poſſeſſioni beneficii non conceditur a Jure poſitivo privilegium, ut ea mediante, acquiri poſſit titulus verus, & proprietas ſuper beneficio; quinimmo a Jure poſitivo reſiſtitur, ſemperque prohibetur talis poſſeſſio, quæ non proceſſerit ab Inſtitutione Canonica, ut patet ex præſenti regula: ergo per nudam poſſeſſionem beneficii abſque Inſtitutione Canonica numquam acquiritur titulus verus, atque proprietas ſuper beneficio.

7 Ad rationem dubitandi reſpondetur cum Gloſsa hic præſcriptionem in præſenti materia non currere, quod non eſt ſingulare ſolum pro iſto caſu: ſiquidem alia plura rerum genera dantur, in quibus locum non habet præſcriptio, ut exemplificat Gloſs. cit. & videri etiam poteſt in pluribus Juribus apud Grat. 16. q. 4. & in pluribus capitibus Decretal. ſub titulo de præſcriptionibus.

8 Quæri ulterius poteſt, utrum pacifica poſſeſſio beneficii longo tempore continuata, quamvis independenter ab Inſtitutione Canonica non pariat verum titulum, & proprietatem ſuper beneficio, & quamvis in foro conſcientiæ ſit illicita, attamen in foro externo ſuſtineatur, itaut contra illam non admittatur actio. Ubi nota illum dici pacificum poſſeſſorem, qui nullam, ſive Juris, ſive facti controverſiam patitur, ſive judicialem, ſive extrajudicialem ſuper ſua poſſeſſione.

9 Reſpondetur quod ſi poſſeſſor beneficii per triennium in ſua pacifica poſſeſſione duraverit,

rit, ad quam poſſeſſionem intraverit titulo colorato, videlicet ex eo quod fuerit electus, vel confirmatus ab eo, qui valide quidem eligere, aut confirmare poterat, ſed per accidens ex aliqua circumſtantia impeditus fuit, ne valide eligeret, aut confirmaret; talis poſſeſſor pacificus triennalis moleſtari nequit in foro externo ſuper poſſeſſione beneficii per actionem privatorum; quod ad evitandas lites ſtatutum fuit in 36. reg. Cancellariæ Apoſtolicæ, quæ dicitur reg. de *Triennali*. Dixi *per actionem privatorum*, ut præſcinderem hic a ſententia illorum Canoniſtarum, qui docent hanc regulam Cancellariæ non obſtare poteſtati Ordinarii, adeoque Ordinarium poſſe triennalem poſſeſſorem removere a poſſeſſione, ſi advertat quod poſſideat titulo malo, & vitioſo.

10 Excipiendi tamen ſunt caſus aliqui, in quibus poſſeſſio triennalis pacifica non participat privilegium prædictæ regulæ Cancellariæ, adeoque contra eamdem poſſeſſionem admittitur actio. Primus caſus eſt, ſi quis ad beneficii poſſeſſionem ingreſſus fuerit ſimoniace. Secundus caſus eſt, ſi quis ſe intruſerit in beneficio, quod Pontifici ex reſervatione generali in corpore Juris clauſa reſervatum ſit; qui duo caſus expreſſe excipiuntur in ipſa citat. regul. Cancellariæ. Tertius caſus eſt, ſi quis beneficii adminiſtrationem ſuſcipiat ante expeditionem litterarum ſuper beneficiorum, & dignitatum collatione, vel confirmatione obtentam, ex conſtit. Julii III. edita anno 1553. die 17. Maii, quam refert Piaſetius in prooemio praxis num. 9. & ſeqq. Quartus demum caſus eſt, ſi quis eo tempore beneficium poſſederit mala

fide: ſicut enim in reliquis rerum generibus poſſeſſor malæ fidei non juvatur beneficio præſcriptionis, ut explicabitur in reg. ſequenti, ita & poſſeſſor beneficii abſque titulo cum mala fide, nullatenus juvatur per prędictam regulam Cancellariæ de triennali.

11 Idem proportione ſervata dicendum eſt circa regulam *de Annali* quæ eſt 35. inter regulas Cancellariæ, cujus beneficium etiam excluditur a mala fide, quæ cum annali poſſeſſione pacifica conjungatur. Ad cujus intelligentiam notandum eſt in eadem regul. *de Annali* decerni, ut nemo impetrare poſſit beneficium, quod pacifice poſſideatur, antequam poſſeſſum fuerit ab alio per annum immediate pręcedentem, & quod certo modo vacare prætenditur; niſi in ſe impetrans exprimat nomen, gradum, & nobilitatem poſſeſſoris, & quotannis ipſe illud poſſideat, ac ſpecificam cauſſam, ex qua clare conſtet nullum dicto poſſeſſori jus competere. Pręterea in eadem regula ſtatuitur, ut idem impetrans teneatur poſſeſſorem evocari facere ad judicium infra ſex menſes, cauſſamque proſequi ex tunc infra annum uſque ad ſententiam definitivam incluſive; alioquin impetratio, & quæcumque inde ſecuta nullius ſint roboris, & impetrans de damnis propterea contingentibus poſſeſſori ſatisfacit. Plura circa hanc regulam ſi quis cognoſcere deſiderat, videri poteſt Mandoſius in Commentario ejuſdem regulæ.

REG.

R E G. I I.

Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.

1 HÆc regula deſumpta eſt ex cap. *vigilanti* 5. & ex c. fin. de præſcriptionibus, aliiſque juribus. Ex quibus caſus figurari poteſt; necnon ex c. *Si vero* 5. 34. q. 2.

2 Pro intelligentia hujus regulæ notandum eſt ex Gloſs. hic v. *Fidei*, multipliciter in jure ſumi fidem, in hac tamen regula ſumi pro conſcientia, itaut ille dicatur poſſeſſor malæ fidei, qui contra conſcientiam poſſidet cognoſcendo rem, quam poſſidet, & ſibi præſcribere vult, eſſe rem alienam, adeoque poſſidendo peccat: e converſo poſſeſſor bonę fidei ille dicatur, qui inculpabiliter putat ſe dominum rei, quam poſſidet, & ignorat rem eſſe alienam.

3 Notandum eſt ſecundo, nomine præſcriptionis in rigore, nihil aliud intelligi, quam exceptionem temporis a lege ſtatuti, qua exceptione poſſeſſor rei repellit repetentem eamdem rem, tamquam ſuam: ut puta ſi quis longiſſimo tempore rem poſſederit, quam putabat ſuam, cum tamen eſset aliena, ac deinde conveniatur in judicio, ut rem illam reſtituat: ille e contra opponat exceptionem, quod rem illam poſſederit tanto tempore, quantum juxta leges ſufficit ad acquirendum dominium rei poſseſsæ; talis exceptio, proprie vocatur præſcriptio, & valorem habet ab uſucapione, quo nomine intelligitur acquiſitio dominii facta per uſum, ſeu poſſeſ-

ſionem legitimo tempore continuatam, ut conſtat ex l. *Uſucapio* 3. ff. Uſurpationibus, & Uſucapionibus. Quamvis tamen hęc ita ſe habeant, attento rigore verborum, attamen nunc ſolet pro eodem accipi uſucapio, & præſcriptio, adeoque nomine præſcriptionis ſolet intelligi acquiſitio dominii facta per poſſeſſionem legitimo tempore continuatam, quemadmodum & plures aliæ differentiæ, quæ olim erant inter præſcriptionem, & uſucapionem ſublatæ ſunt, ut conſtat ex l. unica cap. de Uſucapione transformanda.

4 Hujuſmodi præſcriptio, ſeu acquiſitio dominii beneficio longę poſſeſſionis fuit introducta a Jure civili, ac deinde per Sacros Canones fuit approbata: quamvis enim utilitas privata petat, ut nemo rei alienę dominium ſibi acquirat invito domino: attamen in contrarium prævalet utilitas publica in caſu longæ poſſeſſionis, ne ſcilicet dominia rerum eſſent nimis incerta, & ut auferretur occaſio litium; ac demum, ut quilibet eſſet diligenter in re ſua cuſtodienda, atque ſervanda, propter quas publicas utilitates auctoritate legis acquiritur rei alienæ dominium diuturno ejuſdem poſſeſſori, ut conſtat ex l. 1. ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus l. ult. ff. pro ſuo *l. Ut perfectius*. 2. c. de annali exceptione, &c. *Vigilanti*, 5. de præſcriptionibus.

5 Dices: jus naturale, vel gentium per legem civilem poſitivam auferri non poteſt, ut conſtat ex Paragr. penult. inſtit. de Jure naturali, gentium, & civili: ac præterea, quia quod Jus naturale præcipit, eſt per ſe bonum, & id, quod prohibet, eſt per ſe malum; quod autem eſt per ſe malum per legem poſitivam introduci

non

non poteſt: atqui jus naturale eſt, ut nemini invito auferatur, quod ſuum eſt: ergo per legem poſitivam introduci non poteſt, ut alicui invito auferatur, quod ſuum eſt, ut de facto introducitur per legem præſcriptionis. Neque quidquam facit in contrarium prædicta utilitas publica, propter quam introducta eſt lex præſcriptionis: nam nullius utilitatis occaſione committi aliquid poteſt contra jus naturale, ut conſtat ex reg. 3. de reg. Juris ſupra explicata; ubi dicitur utilius permitti ſcandalum naſci, quam veritas relinquatur; ergo, &c.

6. Reſp. per legem præſcriptionis nihil præjudicari juri gentium, aut naturali: quamvis enim ſit contra jus naturale, gentium detinere rem alienam invito domino; attamen, qui poſt completam præſcriptionem rem detinet, eam non detinet ut rem alienam, ſed ſuam, quia ſcilicet ejuſdem rei dominium translatum eſt ex priori domino in longum poſſeſſorem auctoritate legis: neque enim negari poteſt competere Principi poteſtatem privandi ſubditos rerum ſuarum dominio, ſive id faciat in pœnam, ut accidit in confiſcatione rerum, ſive id faciat exigente utilitate publica, cui cedit utilitas privata, ut contingit in caſu præſcriptionis. Ex his patet argumentum.

7 Hinc infertur ſatis eſſe probabilem ſententiam illam plurium Theologorum, & Canoniſtarum docentium acquiſitionem dominii legitima præſcriptione factam procedere etiam pro foro conſcientiæ, ita ut terminata præſcriptione poſſit retineri res præſcripta tamquam ſua, etiamſi poſt terminatam præſcriptionem cognoſcatur rem fuiſſe alienam; quamvis circa hoc

punctum aliqui Doctores variaverint, quorum ſententiæ, & rationes videri poſſunt apud Azorium p. 3. Inſtit. Moralium lib. 1. cap. 16. & apud Molin. de Juſtit. tract. 2. diſp. 61. alioſque paſſim; & inter Canoniſtas videri poteſt Panorm. in cap. *Vigilanti*. 5. de præſcriptionibus num. 6. uſque ad finem.

8 Notandum tamen eſt, ut præſcriptio juſta ſit, & legitime compleatur, aliquas conditiones requiri, quarum una eſt, ut res ſit talis, cujus dominium acquiri poſſit, aut non ſit poſitive prohibita præſcribi. Secunda conditio eſt, ut tempus a lege ſtatutum compleatur. Tertia eſt, ut res poſſideatur, aut quaſi poſſideatur toto tempore ad pręſcribendum requiſito. Quarta eſt juſtus titulus. Quinta demum eſt bona fides præſcribentis, ut expreſſe ſtatuitur in pręſenti regula Juris.

9 Quoad primam conditionem videri poſſunt Juriſtæ in titulo de Uſurpationibus, & Uſucapionibus, & Canoniſtæ in tit. de Præſcriptionibus. Inter ceteras res præſcribi prohibitas numerantur res ſacræ, & jura ſpiritualia, quę ab hominibus laicis numquam præſcribi poſſunt; item res uſibus publicis deputatæ, ut viæ publicæ, platea publica, &c. ex l. *Uſucapionem*. Nona de Uſurpationibus, & Uſucapionibus ff. Item limites Provinciarum, Epiſcopatuum, & Parochiarum, ſi de talibus limitibus conſtet, ex cap. *Super eo*. 4. de Parochiis. Res etiam furtivæ, vel vi expulſiva poſſeſſæ, aut occupatæ præſcribi non poſſunt, non ſolum ab ipſo fure, aut a violento ipſarum poſſeſſore, ſed nec ab ullo alio, quamvis bona fide illas emerit, aut acceperit, ut expreſſe decernitur in

Parag.

Parag. *Furtivæ quoque res*: inſtitut. de Uſucapionibus. Alia plura videri poſſunt apud Azor. inſtitut. mor. p. 3. lib. 5. cap. 20. & apud Juriſtas, & Canoniſtas paſsim in materia de præſcriptionibus.

10 Quoad ſecundam conditionem de tempore, antiquitus ante tempora Juſtiniani, poterant in Italia præſcribi res mobiles annali poſſeſſione bona fide continuata; Res autem immobiles biennio. Sed cum Juſtiniano videretur aliquo modo inhumanum, quod prior dominus tam auguſto tempore privaretur dominio rerum ſuarum etiam abſens, & neſciens; propterea ſtatuit ad uſucapionem rerum mobilium privati hominis interveniente titulo, requiri, & ſufficere poſſeſſionem per triennium bona fide continuatam: ita expreſſe in l. unica, cap. de Uſucapione transformanda. Quod ſi titulus in eadem poſſeſsione non interveniat, docent communiter Doctores, tunc rem illam mobilem non præſcribi, niſi poſſeſsione 30. annorum, cum bona fide argum. *l. ſicut in rem*. 3. c. de præſcriptione triginta, vel 40. annorum. Eccleſiis tamen conceſsum fuit privilegium, ut contra ipſarum res præſcribi non poſſet, niſi ſpatio 40. annorum, ut conſtat ex auctoritate: *quas actiones*; *C.* de Sacroſanctis Eccleſiis; immo aliquibus particularibus Eccleſiis conceſſum fuit longius tempus, & inter reliquas contra res ſpectantes ad Romanam Eccleſiam non præſcribitur niſi ſpatio centum annorum, ut patet ex cap. *Ad Audientiam* 13. & cap. *cum vobis* 14. de præſcript.

11 Statuit præterea Juſtinianus in eadem l. unica, cap. de Uſucapione transformanda, ad

Uſucapionem rerum immobilium, pro qua prius ſufficiebat poſſeſsio biennalis, requiri poſſeſſionem longo tempore continuatam: Longum autem tempus hic ſumitur ſpatium decem annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes, quod idem ſtatutum eſt etiam in l. *cum in longi* 12. aliiſque juribus c. de præſcriptione longi temporis. Quod ſi quis quibuſdam annis præſens ſit, quibuſdam abſens, adjiciuntur ei ſupra decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit abſens, ut expreſſe dicitur in auth. *Quod ſi quis* c. de præſcript. longi temporis. v. gr. ſi fuit præſens 8. annis, & fuit abſens duobus, adhuc ad complendam pręſcriptionem requiruntur 2. anni, & ita requiruntur 12. anni. Præſens autem dicitur non ſolum, qui in ęadem civitate, ſed etiam, qui eſt in eodem territorio, ex cit. l. *Cum in longi*.

12 Hæc tamen intelligenda ſunt, quando intervenit titulus poſſeſsionis: poſſeſsio enim ſine titulo, quamvis cum bona fide non præſcribitur niſi ſpatio longiſsimi temporis, quo nomine intelligitur in Jure ſpatium 30. vel 40. annorum. Ita ſumitur ex cap. *Sanctorum* 3. de præſcriptionibus, & ex l. *Si quis Emptionis* 8. C. de præſcriptione 30. annorum. Alia plura circa menſuram temporis requiſitam pro variis diverſarum materiarum præſcriptionibus videri poſſunt apud Leſs. lib. 2. de Juſtit. cap. 6. dub. 8. & ſeqq. & apud Juriſtas in materia de Uſucapione, aut præſcriptione.

13 De tertia conditione, quæ ponit poſſeſſionem rei neceſſariam ad præſcribendum, dicetur in explicatione regulæ ſequentis.

14 In

14 In quarta conditione ponitur juſtus titulus, qui ſit fundamentum poſseſsionis habile ex genere ſuo ad translationem dominii; puta titulus donationis, emptionis, dotis legalis, permutationis &c. Ubi tamen adverte non eſse neceſſarium, ut titulus ille ſit validus, putà ut donatio, vel emptio valida ſit, & facta a vero domino talis rei alienabilis ab ipſo; ejuſmodi enim titulus ſufficeret etiam ſine prȩſcriptione ad transferendum dominium, traditione ſecuta: ſed ſatis eſſe, ut titulus ille probabiliter reputetur validus, quamvis de facto invalidus ſit in ordine ad transferendum dominium propter aliquem latentem defectum; in quo caſu beneficio uſucapionis acquiritur dominium rei, quod ceteroquin acquiſitum non fuiſſet per ſolum titulum, ut ver. gr. ſi heres rem alteri tradat reputans eidem fuiſſe legatam a defuncto, quamvis de facto legata non ſit; in quo caſu ſolus titulus; quo alter rem accipit, nempe titulus legati non eſt per ſe ſufficiens ad transferendum dominium rei traditæ: attamen ille titulus fundare poteſt præſcriptionem, quæ per poſseſsionem legitimo tempore continuatam compleatur, adeoque dominium transfert in præſcribentem. Ubi tamen adverte cum Leſs. in cit. cap. 6. dub. 2. num. 8. quod error ille, quo titulus reputatur, tamquam validus, cum tamen validus non ſit, non debet procedere ex ignorantia juris, ſed ex ignorantia facti, ignorantia enim facti, non juris excuſat, juxta reg. 13. de reg. Juris in 6. infra explicandam. Idem etiam habetur expreſſe in lib. 2. Paragr. ſi a pupillo ff. pro Emptore, & in l. *numquam*

31. ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus, & in l. *Quemadmodum* 7. cap. De Agricolis lib. 11. & in reg. qui contra jus 81. de reg. Juris.

15 Ejuſmodi tituli ad Uſucapionem requiſiti numerantur a DD. decem, ac de iis ſunt ſpeciales rubricæ in lib. 41. ff. tit. 4. & ſeqq.

16 Primus titulus eſt *pro ſoluto*. Mediante hoc titulo procedit uſucapio, ſi quis bona fide putet aliquid ſibi ſolvi debere ab alio, qui etiam reputet ſe teneri ad illud ſolvendum, unde de facto ſolvat, vel pecuniam, vel aliud æquivalens; in quo caſu alter recipiens bona fide ſolutum incipit præſcriptionem. Idem dic ſi aliqua ſolutio per errorem bona fide utrinque fiat ſecundo. Ita habetur l. 1. & ſeqq. ff. pro ſoluto. Excipe tamen, niſi per errorem putetur aliquid ſolvi debere ex emptione, quæ tamen realiter facta non fuit; tunc enim res ſoluta tali falſo titulo, & accepta non præſcribitur, ex l. 2. ff. pro Emptore.

17 Secundus titulus eſt *pro Emptore*. Hic titulus intervenit, ſi quis rem ex cauſſa Emptionis traditam poſſideat. Ut mediante hoc titulo præſcribatur, opus eſt, ut realiter præceſſerit emptio, & ut error, ſeu ignorantia circa invaliditatem facte emptionis ſit error probabilis facti, non autem juris, ut ſupra dictum eſt, ex l. 2. ff. pro Emptore: niſi tamen qui exiſtimat, ſe quid emiſſe, cum non emerit, habeat aliquam juſtam cauſſam ejus erroris, ut verb. gr. ſi præcipit Servo, vel Procuratori emere rem, & Servus perſuadeat ſe rem emiſſe, atque ita domino eam tradat, cum tamen non emerit; quia in tali caſu Dominus bona

fide

fide poſſidens rem traditam, tamquam emptam, incipit præſcriptionem, juxta text. expreſſum in l. *quod vulgo* 11. ff. pro Emptore.

18 Tertius titulus eſt *pro herede*; pro quo titulo præſcribit, qui vere eſt heres, aut bona fide ſe heredem putat, ex l. *non ſolùm* 33. §. *quod vulgo verſ. hoc amplius* ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus 8. qui bona fide putet rem aliquam ex hereditate eſſe, quæ non ſit, eamque bona fide poſſideat quaſi hereditariam; ita expreſſe in l. *plerique* 3. ff. pro herede. Excipe tamen niſi putet ſe eſſe heredem ejus, quem falſo credit mortuum, quia tunc præſcriptio titulo *pro herede* non procedit, juxta textum expreſſum in l. 1. ff. pro herede. Item excipe, niſi res, quæ in hereditate inventa eſt, ſit vitioſa, nempe furtiva, aut vi poſſeſſa a defuncto, aut alterius conditionis, cui obſtet uſucapio, quę exceptio pro omni ordinaria uſucapione eſt intelligenda.

19 Quartus titulus *pro donato*, ut cum quis bona fide rem aliquam dono recipit a donante bona fide, in quo caſu, ut currat præſcriptio opus eſt, ut realiter præceſſerit donatio, & ut perſona, cui fit donatio non ſit incapax ejus donationis, quemadmodum filius exiſtens ſub patriâ poteſtate eſt incapax donationis, quę ipſi fiat a Patre, exceptis caſibus permiſſis, ita l. 1. ff. *pro donato*.

20 Quintus titulus eſt *pro derelicto*, ut cum quis bona fide cœpit poſſidere rem, quam putabat a Domino haberi pro derelicta, & ea res vere, & realiter derelicta fuerit: nam juxta textum expreſſum in l. 6. ff. pro derelicto, *nemo poteſt pro derelicto uſucapere, qui falſo*

exiſtimaverit rem pro derelicto habitam eſſe; ubi tamen Gloſs. hoc limitat, niſi error ſit juſtus.

21 Sextus titulus eſt *pro legato*, pro quo preſcribi poteſt, ſi res legata ſit aliena, ſed bona fide poſſeſſa a defuncto, & nova vitioſa, aut ſi ea teſtatoris quidem ſit, ſed adempta Codicillis ignoratur. Idem dici poteſt ſi ſit error in nomine, veluti ſi Titio legatum aliquid ſit, cum ſint duo Titii, & alter eorum de ſe cogitatum exiſtimaverit, nec dubium de hoc ipſi ſit, quia ſi dubitet non inchoatur præſcriptio, ita in leg. 4. ff. *pro legata* juncta Gloſs. ibid. *v. exiſtimaverit*.

22 Septimus titulus eſt *pro Dote*, quo mediante præſcribit, qui rem alienam datam in dotem poſſidet bona fide, dummodo tamen ſit actualiter contractum Matrimonium per verba de præſenti, quia ſine Matrimonio non eſt dos, ut conſtat ex l. 1. ff. pro dote.

23 Octavus titulus eſt *pro ſuo*, quando ſcilicet aliquis poſſidet rem, tamquam ſuam, quæ tamen aliena eſt. Hic titulus & eſt generalis, quatenus quicumque rem poſſidet, ſive pro Dote, ſive pro legato, ſive pro derelicto &c. poſſidet rem, tamquam ſuam; & eſt etiam ſpecialis, quatenus, deficientibus omnibus iis titulis, adhuc res poſſideri poteſt tamquam ſua in caſibus permiſſis, ut contingeret v. gr. ſi quis tamquam ſuum poſſideret fructum rei furtivæ, quam bona fide emit, quamvis rem ipſam furtivam uſucapere nequeat, ut conſtat ex l. 1. & 2. ff. *pro ſuo*.

24 Nonus titulus eſt *pro tranſactione*, ut cum quis bona fide aliqui poſſidet datum, & acceptum

ptum cauſſa tranſactionis, ut a lite recedatur, habetur expreſſe in *l. ex cauſſa* 8. *c. de Uſucapione pro emptore, vel pro tranſactione*.

25 Prædicti tituli habentur in lib. 41. ff. & in lib. 7. Codicis quibus addunt Doctores titulum *pro judicato*, quo titulo præſcribitur, quando data eſt ſententia, & intra 10. dies non fuit appellatum; tunc enim appellari amplius non poteſt, & ſententia tranſit in rem judicatam, ut habetur in 3. libro Authenticorum collatione quarta novella 23. quæ translata eſt etiam in decretum Gratiani *cap. Anteriorum* 27. 2. quæſt. 6.

26 Quinta demum conditio ad præſcriptionem requiſita ea eſt, quæ ſignificatur in præſenti regula Juris, videlicet bona fides, hoc eſt credulitas, qua quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit eſſe alienam, itaut ea credulitas ex ignorantia craſſa, aut ex inordinata cupiditate non oriatur, quia tunc non eſſet bona fides.

27 Circa hanc conditionem eſt aliqua diverſitas inter quaſdam antiquas leges civiles, & inter Canones: nam antiquitus de jure civili ſufficiebat bona fides in principio uſucapionis, nihil autem nocebat mala fides, quæ ſuperveniret ante completam uſucapionem, ut deſumitur ex *l. Bonæ fidei* 48. §. *in contrarium* ff. de acquirendo rerum dominio, ſi præſertim eſſet uſucapio 30. aut 40. annorum juxta *l. ſi quis emptionis* 8. §. *Quod ſi quis C.* de præſcriptione 30. aut 40. annorum. Tunc vero per ſacros Canones eſt univerſaliter ſtatutum, ut mala fides noceat poſſeſſori, non ſolum in principio poſſeſſionis, ſed etiam toto tempore

ad

ad præſcriptionem requiſito, itaut quandocumque intra illud tempus mala fides ſuperveniat, interrumpat præſcriptionem, ut conſtat ex hac regula Juris, & ex c. fin. de præſcriptionibus, idemque procedit etiam in poſſeſſione longiſſimi temporis, & immemoriali, quia continuatio poſſeſſionis malæ fidei cujuſcumque temporis non purgat peccatum, quando tanto gravius eſt, quanto diutius infelicem animam detinet alligatam, ut dicitur in c. fin. de conſuetudine. Quare in hoc ſervanda eſt diſpoſitio ſacrorum Canonum etiam in foro civili, quia ubi agitur de peccato vitando, correctio juris civilis facta per ſacros Canones ſervanda eſt in omni foro, ut eſt certa apud omnes Doctores ſententia.

28 Quæri poteſt, utrum qui dubitat, an aliena ſit res poſſeſſa, cenſeatur bona fide eam poſſidere, adeoque præſcribere?

29 Reſp. cum diſtinctione, vel enim dubitat tempore inchoatæ poſſeſſionis, vel incepit quidem bona fide, & abſque eo dubio poſſidere, ſed poſtea ſupervenit dubium intra legitimum tempus præſcriptionis. Si dubitat initio poſſeſſionis non cenſetur adeſſe bona fides, adeoque præſcriptio non inchoatur, juxta communem Doctorum ſententiam; quia, qui ab initio dubitat, an res ſit ſua, vel aliena, inique eam ſibi arrogat, cum non ſit melior ejus conditio, quam alterius; quare initio poſſeſſionis requiritur, ut determinate judicet, vel rem eſſe ſuam, vel ſaltem eſſe nullius, adeoque fieri ſuam per occupationem.

30 Si autem dubitatio ſuperveniat poſt inchoatam bona fide, & ſine ulla dubitatione poſ-

poſſeſſionem, tunc etiam præſcriptionem interrumpi docuerunt Sotus lib. 4. de juſtit. qu. 5. art. 4. Anton. de Butrio in c. ult. de præſcriptionibus, aliique. At in contrarium eſt plurium aliorum ſententia, quos citat, & ſequitur Molin. de Juſtit. tract. 2. diſp. 63. docentium in eo caſu præſcriptionem non interrumpi, dummodo tamen poſſeſſor dum dubitat, diligenter inquirat de veritate, ut ſciat, an res ſit aliena, &, non obſtante tali inquiſitione, adhuc maneat dubitatio. Ratio hujus ſententiæ eſt: quia, qui ita dubius eſt poſt factam diligentem inquiſitionem, poteſt licite continuare poſſeſſionem, ſi quidem in tali caſu melior eſt conditio poſſidentis, juxta reg. 65. de regula juris in 6. adeoque non dicitur eſſe in mala fide, quam Sacri Canones a præſcriptione removent, quia mala fides a Canonibus reprobata ea eſt, quæ ſine peccato non habetur. Probatur etiam ex can. *Si Virgo* 5. 34. qu. 1. ubi dicitur. *In Jure prædiorum tamdiu quiſque bonæ ſidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum*. Sed, qui poſt factam diligentem inquiſitionem dubitat, ignorat ſe poſſidere alienum: ergo, &c.

31 Adverte tamen hoc intelligi debere de poſſeſſore, qui ſolum ſpeculative dubitet, an ſua ſit res, quam hactenus bona fide poſsedit tamquam ſuam. Si enim etiam practice dubitet, an ſibi liceat rem illam retinere, tunc rem licite retinere non poteſt, quia juxta communem doctrinam peccatum eſt operari cum conſcientia practice dubia, hoc eſt cum dubio, an ſibi liceat idem opus, & conſequenter per tale dubium practicum interrumpitur bona

fides,

fides, atque præſcriptio. Idem etiam habetur in l. *Si fur* 32. §. *Si quis* ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus, ubi ſic dicitur: *Si quis id, quod poſſidet, non putat ſibi per leges licere uſucapere; dicendum eſt etiam ſi erret, non procedere tamen ejus uſucapionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in jure erranti non procedat uſucapio.*

32 Quæri etiam poteſt circa hæc ultima verba legis, & circa ea, quæ paullo ante diximus in explicatione quartæ conditionis; utrum quicumque rem alienam poſſidet, quam ex ignorantia juris putat eſſe ſuam, dicendum ſit habere malam fidem, adeoque non poſſe præſcribere. Dixi *ex ignorantia juris*, quia ſi ſit ignorantia facti ſtare poteſt cum bona fide juxta ſupra cit. reg. 13. de reg. Juris in 6. ubi dicitur *ignorantia facti, non juris excuſat.* Pro clariori intelligentia ſit exemplum deſumptum ex l. *numquam* 31. ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus, & ex l. 2. §. *ſi a pupillo.* ff. pro Emptore. Emit quis aliquid a pupillo ſine auctoritate Tutoris, ſciens quidem illum eſſe pupillum, ſe ignorans legem, per quam decernitur prædictam emptionem ſine Tutoris auctoritate factam non valere. In tali caſu emptor ille dicitur habere ignorantia juris, ſive legis, & rem emptam poſſidere tamquam ſuam ex ignorantia Juris, quia illam eſſe ſuam reputat ex eo, quod ignoret legem. E converſo emit quis aliquid a Pupillo ſine auctoritate Tutoris, ſciens quidem legem, quod non valeat emptio facta de rebus Pupilli ſine auctoritate Tutoris, ſed ignorans illum eſſe Pupillum. In tali caſu emptor dicitur habere ignorantiam

non

non juris, ſed facti, & rem emptam poſſidere tamquam ſuam ex ignorantia facti. Jam vero ſi quis rem alienam poſſideat tamquam ſuam ex ignorantia facti, poſse præſcribere, dummodo interveniant reliquæ conditiones ad præſcriptionem requiſitæ, convenit inter auctores, & ſatis conſtat ex pluribus juribus, quorum aliqua ſupra citavimus in explicatione quartæ conditionis. Controverſia eſt de poſſeſſore, qui rem alienam, quam poſſidet, putat eſſe ſuam ex ignorantia juris.

33 In hac controverſia diviſi ſunt Doctores. Covar. in Comment. hujus regulæ part. 2. §. 7. num. 6. Antonius de Butrio 4. *pervenit* in cap. De emptione, & venditione, aliique plures citati a Leſſio lib. 2. de Juſtit. cap. 6. dub. 5. cenſuerunt ignorantiam Juris, dummodo ſit ignorantia inculpabilis, impedire quidem præſcriptionem ordinariam, ad quam requiritur titulus, ſed non impedire præſcriptionem, quæ titulum non requirit, ſed ſolum bonam fidem, qualis eſt præſcriptio longiſſimi temporis, videlicet 30. aut 40. annorum: unde juxta ipſos ſi quis aliquid emerit bona fide a Pupillo ſine auctoritate Tutoris, & rem emptam poſſideat bona fide, tamquam ſuam ex eo quod ignoret dari legem talis emptionis prohibitivam, & ita proſequatur in illa poſseſſione ſpatio 30. aut 40. annorum, acquirit ejuſdem rei dominium mediante præſcriptione.

31 Fundamenta hujus ſententiæ ſunt. Primo quia præſcriptio longiſsimi temporis non requirit titulum, ut ſupra diximus, ſed ſolum poſseſsionem bonæ fidei tanto tempore con-

continuatam: atqui errans in jure poteſt habere poſseſſionem bonæ fidei tanto tempore continuatam, puta quia conſuluit, quos potuit, & omnia fecit, ad quæ tenebatur, ut cognoſceret leges emptionis, unde ejus ignorantia fuit penitus inculpabilis: ergo errans in jure poteſt præſcribere longiſſimo tempore, etiam ſi illi deſit titulus poſseſſionis infectus ab ignorantia juris. Secundo ideo error juris impedit præſcriptionem, quia, qui errat in jure, habet, vel ſaltem præſumitur habere malam fidem: ergo ſi realiter illam non habeat, aut etiam ceſset ejus præſumptio, præſcribere poterit præſertim in foro conſcientiæ, in quo ceſsat præſumptio. Hæc aliaque ſimilia argumenta promovet Leſs. in cit. dub. 5. ad probandam hanc ſententiam.

35 His tamen non obſtantibus probabiliorem cenſeo ſententiam oppoſitam, quam tradit Gloſ. in c. 2. de his, quæ fiunt a Prælato &c. & in c. *Apoſtolicæ* 9. de Donationibus, Panorm. in cap. *Cum non liceat* 12. de Præſcriptionibus num. 9. Molina de Juſtit. tract. 2. diſp. 64. aliique plurimi ab ipſo citati; videlicet ignorantiam juris, quamvis penitus invincibilem, ſeu ſine omni culpa, attamen præſcriptioni cuicumque etiam longiſſimi temporis eſse contrariam, adeoque in ſuprapoſito caſu ementem aliquid a pupillo cognito, ut pupillo, abſque auctoritate Tutoris ex ignorantia legis hujuſmodi emptionem irritantis, numquam ſibi acquirere dominium rei emptæ, quamvis in ejus poſseſſione longiſſimo tempore cum bona fide continuet.

36 Ratio hujus ſententiæ eſt: quia præſcriptio

ptio introducta eſt a jure humano civili, ac deinde approbata per Sacros Canones; ergo ſub iis tantum conditionibus admitti debet, ſub quibus conceditur a Jure Civili, & a Canonibus non reprobatur: atqui a Jure civili non conceditur præſcriptio poſſidentis rem alienam, tamquam ſuam ex ignorantia Juris: ergo &c. minor ſubſumpta conſtat ex pluribus textibus, præſertim ex l. Juris 4. ff. de juris, & facti ignorantia, ubi ſic habetur: *Juris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe; facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat*: item ex *l. numquam* 31. ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus, ubi ſic expreſſe: *numquam in uſucapionibus juris error poſſeſſori prodeſt*; & ex aliis textibus alibi.

37 Dices cum Leſſio: textus iſti ſolum de præſcriptione loquuntur, quæ introducta eſt jure Digeſtorum, hoc eſt de præſcriptione ordinaria longi temporis; non autem de præſcriptione longiſſimi temporis, quæ introducta eſt recentiori jure Codicis; ergo ſi non in præſcriptione ordinaria, ſaltem in præſcriptione longiſſimi temporis locum habere poteſt ignorantia Juris.

38 Reſpondetur correctionem, ſeu limitationem Jurium univerſalium vitandam eſſe, quotieſcumque aut evidens ratio, aut manifeſta legis diſpoſitio, legis poſterioris eamdem correctionem, ſeu limitationem non convincat, ut communiter docent Auctores. Cum igitur in citatis textibus univerſaliter decernatur ignorantiam Juris poſſeſſori non prodeſſe, non debet hoc limitari quoad poſſeſſorem longiſſimi temporis, niſi talis limitatio

con-

conſtet, vel ex aliqua evidenti ratione, vel ex aliqua lege recentioris Codicis: atqui nec ulla evidens ratio, nec ulla Codicis lex afferri poteſt, favens ignorantię juris ad pręſcribendum; ſiquidem in Codice in favorem poſſeſſionis longiſſimi temporis ſolum inducitur, ut pro ea non requiratur titulus, ſicut requiritur pro poſſeſsione longi temporis: ex eo autem quod carentia tituli non obſtet tali poſſeſſori, non infertur, quod neque obſtet ignorantia juris, cum ſint caſus diverſi, & in privilegiis contra aliquam legem univerſalem conceſsis non valeat illatio a caſu expreſſo ad caſum diverſum non expreſſum, l. *præcipimus* in fine C. de Appellationibus: ergo &c.

39 Ad primum fundamentum ſententię contrariæ, reſpondetur poſſeſſorem longiſsimi temporis laborantem ignorantia juris, ſi omnem diligentiam, ad quam tenebatur, adhibuit, poſſe quidem habere bonam fidem Theologicam ſeparatam ab omni culpa; ſed tamen habere malam fidem civilem, hoc eſt reprobatam a jure, & ex pręſcripto juris vitioſam in ordine ad effectum præſcriptionis, qualis eſt ignorantia juris ex textibus ſupra citatis: Poſſeſſor autem malæ fidei, ſive Theologice, ſive civiliter ullo tempore non præſcribit.

40 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, falſum eſſe, quod eatenus præciſe error juris impediat præſcriptionem, quatenus errans in jure præſumitur habere malam fidem: tota enim ratio quare prædictus error præſcriptionem impedit, eſt, quia ita ſtatutum fuit a jure humano civili, a quo pendent leges præſcriptionis. Potuit quidem legislator moveri ad

id ſtatuendum, ex eo, quia frequenter præſumi poteſt, quod poſsidens alienum ex errore juris habeat malam fidem: ſuppoſito tamen, quod ex tali motivo generaliter ſtatuerit, errorem juris non prodeſſe poſſeſsori, quamvis in aliquo caſu particulari ceſſet omnis præſumptio malæ fidei, adhuc tamen ſubſiſtit etiam in eodem caſu prędictum ſtatutum, eo proportionaliter modo, quo ſi Princeps ad vitandas rixas generaliter prohibuerit ferre arma noctu, & quamvis in aliquo particulari caſu, ſi Petrus ferat arma noctu, non ſit ullum periculum rixæ, adhuc tamen ſubjicitur legi generali, quia legis obligatio non ceſſat, quando ejus cauſſa finalis ceſſat ſolum in aliqua particulari perſona, non autem in univerſali, arg. l. *ea quæ raro* 64. ff. div. reg. Juris.

41 Quæri etiam poteſt utrum mala fides Teſtatoris noceat etiam heredi, ita ut heres dicendus ſit mala fide poſsidere, adeoque non poſſe res hereditarias præſcribere, ex eo quod illas in hereditatem acceperit a Teſtatore, qui mala fide illas poſſedit, adeoque illarum dominium non præſcripſit?

42 Reſpondetur heredem univerſalem defuncti, qui res mala fide poſſedit, nullo tempore poſſe præſcribere res in hereditatem acceptas, etiamſi illas bona fide accipiat, & diu poſsideat. Ita docet communis Doctorum ſententia; ſumiturque ex l. *Cum heres* 11. ff. de div. temporalibus præſcriptionibus, & ex §. *diutina*. Inſtitut. de Uſucapionibus, ubi dicitur: *ſi ille* (Defunctus) *initium juſtum non habuit* (ideſt ſi mala fide cœpit poſsidere,) *heredi, & bonorum poſſeſſori, licet ignoranti, poſſeſſio*

non

non prodeſt. Ratio autem, quæ ex iiſdem juribus deducitur, eſt, quia heres repræſentat perſonam defuncti, ita ut per fictionem juris cenſeatur una eademque perſona; unde fit, quod poſſeſſio heredis cenſeatur per fictionem juris una continuata poſſeſſio cum poſſeſſione Teſtatoris. Sicut igitur poſſeſſio Teſtatoris fuit malæ fidei, ita per fictionem juris cenſetur malæ fidei etiam poſſeſſio heredis. Poſſeſſor autem malæ fidei ullo tempore non præſcribit.

43 Quod ſi contingat huic heredi, quem diximus non poſse præſcribi, etiamſi poſſideat bona fide perſonali, quia illi nocet mala fides Teſtatoris; ſi, inquam, contingat huic heredi alium heredem ſuccedere, reique hereditariæ poſſeſſionem bona fide ingredi; tunc poſse eumdem heredem heredis præſcribere, docent Covar. Accurtius, aliique, quos citat & ſequitur Molin. de Juſtit. tract. 2. diſp. 65. dummodo tamen pro præſcriptione non computetur tempus duorum præcedentium poſseſſorum, qui præſcribere non potuerunt ex eo, quod illorum unus habuit malam fidem perſonalem, & veram, alter autem habuit malam fidem per fictionem juris; ſed ſolum computetur tempus; quo ipſemet heres heredis bona fide poſſidet. Ratio diſparitatis, quare in prædicto caſu heres immediatus præſcribere non poſſit, poſſit autem heres mediatus, eſt, quia in caſu heredis immediati intervenit una ſolum fictio juris, per quam cenſetur eſse eadem perſona cum Teſtatore defuncto; adeoque mala fide poſſidere, ſicut mala fide poſsedit defunctus (Vide Decium ff.

De

De reg. juris in l. *Heredem* pag. 371.) at vero ſi per fictionem juris cenſeretur etiam ſecundus heres mala fide poſſidere: ſicut per fictionem juris reputatus fuit primus heres mala fide poſſidere, concurrerent duæ fictiones juris in eadem re, & ex eodem capite ortæ: atqui duas fictiones in eadem re eodem capite ortas jura non admittunt, ut Panor. probat in c. *Significavit 36.* de reſcriptis nu. 5. arg. deſumpto ex l. 1. C. de Dotis promiſſione: ergo quamvis primus heres per fictionem juris cenſeatur mala fide poſſidere, ſicut mala fide poſſedit Teſtator defunctus; non propterea cenſetur per fictionem juris mala fide poſſidere ſecundus heres, ſicut per fictionem juris reputatus fuit mala fide poſſidere primus heres.

44 Quæres utrum in tali caſu ille ſecundus heres præſcribat cum titulo adeoque ad complendam præſcriptionem ipſi ſufficiat longum tempus poſseſſionis; an potius præſcribat ſine titulo, adeoque ipſi requiratur longiſſimum poſseſſionis tempus ad præſcribendum. Ratio dubitandi eſt; quia ex una parte videtur non carere titulo; ſiquidem inter titulos, quos ſupra enumeravimus habiles ad præſcribendum, unus eſt *pro berede*, quando ſcilicet aliquid acceptum eſt, & poſsidetur tamquam hereditas relicta: in præſenti autem caſu ſupponit ille ſecundus heres poſsidere rem in hereditate relictam.

45 Ex altera parte ſi ille ſecundus heres ſit de numero eorum, qui in jure vocantur heredes *ſui, & neceſsarii*, veluti filius, & filia reſpectu patris, ſub cujus poteſtate ſint, de quibus ſermo eſt in §. *Si autem.* Inſtit. de here-

dum

dum qualitate, & differentia; ſi inquam ſecundus heres ſit heres *ſuus*, videtur non poſſe præſcribere cum titulo pro herede, ſed ut præſcribat neceſſe eſſe, ut poſſeſſionem bona fide contineat longiſſimo tempore, quantum requiritur ad præſcribendum ſine titulo. Ratio eſt: quia in l. *Nihil* 2. *C. de Uſucapione pro herede*, expreſſe dicitur: *nihil pro herede poſſe uſucapi ſuis heredibus exiſtentibus, magis obtinuit.*

46 Reſpondetur eſſe ſententiam ſatis communem inter Doctores, quod Filius non poſſit præſcribere titulo *pro herede* prædictam rem alienam, quam Pater per fictionem Juris poſſedit mala fide. Probant hoc tum ex auctoritate illarum legum, quas prædicto modo communiter interpretantur; tum etiam ex ratione; quia filius adiens hereditatem patre defuncto, non cenſetur novum dominium acquirere, ſed continuare ſolum dominium ſui Patris; ſiquidem etiam vivente Patre reputatur tamquam Dominus rerum ſui Patris; ergo ingreſſus filii ad hereditatem paternam non dat novum titulum filio ad acquirendum dominium rerum poſſeſſarum a patre, ſed ſolum quaſi continuat præcedens dominium, quod habuit ſimul cum patre: ergo ſi aliunde pater non habebat dominium alicujus rei, ex eo, quod per fictionem juris mala fide illam poſſederit; neque filius habere poteſt idem dominium ex ingreſſu ad hereditatem. Oppoſitum contingit in herede non neceſſario, quia talis heres per ingreſſum ad hereditatem acquirit titulum ad comparandum dominium ſibi rei, quam defunctus poſſedit bona fide perſonali.

47 Hæc ſententia habet magnum robur communi

muni auctoritate Doctorum. Hac tamen non obſtante, cenſeo non eſſe improbabile, quod etiam heres *ſuus*, *& neceſſarius* poſſit præſcribere titulo *pro herede* rem alienam, quam defunctus poſſedit bona fide perſonali, adeoque ad præſcribendum ſufficere eidem heredi tempus, quod ſufficit ad præſcribendum cum titulo; quam ſententiam eſſe ſatis probabilem dicit etiam Leſſius lib. 2. de Juſtit. cap. 6. dub. 13. num. 44. Ratio hujus probabilitatis eſt, quia quamvis filius exiſtens ſub poteſtate patris etiam vivente patre reputetur tamquam dominus rerum ſui patris, propter futuram ſucceſſionem neceſſariam, non tamen habet earumdem rerum poſſeſsionem, vivente patre; cum neque poſsit illas attingere ſine patris conceſſione. Acquirit igitur de novo poſſeſsionem poſt mortem patris, & quidem cum titulo, quia ſcilicet eſt ejus heres: Atqui ad incipiendam præſcriptionem cum titulo, ſufficit, ut bona fide incipiatur poſſeſſio cum titulo, ut patet ex ſupradictis: ergo &c.

48 Quod attinet ad citatas leges pro ſententia contraria, reſpondet Leſs. loco citat. cum Vilio in titul. de heredum qualitate, & differentia, eſſe ſatis probabile, quod illæ leges ſint aliter explicandæ, itaut ſcilicet quando in l. *Nihil* dicitur *non poſſe uſucapi pro herede ſuis heredibus exiſtentibus*, non ſit ſenſus, quod *ſuus* heres non poſsit uſucapere titulo *pro herede*; ſed quod alii non poſsint uſucapere titulo *pro herede*, quando exiſtit heres *ſuus*: exiſtente enim herede *ſuo*, titulus *pro herede* alteri convenire non poteſt, cui explicationi conſonat, etiam l. *ex teſtamento* 2. *C.*

unae liberi, ubi dicitur: *ex teſtamento, vel ab inteſtato exiſtente filio, vel nepote ſuo herede, nemo poteſt ab inteſtato heres exiſtere*. Item quando in lib. 2. ff. *pro herede* dicitur filius a patre heres inſtitutus res hereditarias a patre ſibi donatas pro parte coheredum uſucapere non poſſe, non ſit ſenſus, quod filius uſucapere non poſsit res qualcumque hereditarias tit. *pro herede*, ſed ſolum quod non poſsit præſcribere titulo pro herede res ſibi a patre donatas; cum enim ipſas naturaliter poſsidere cœperit titulo donationis, vivente patre, non poteſt poſt mortem patris incipere eaſdem poſſidere titulo heredis, quia ex eadem l. D. 2. ff. pro herede, & ex l. *cum nemo* 5. cap. de acquirenda poſſeſsione, & ex l. *poſsident*. 3. §. *illud*, nemo poteſt mutare cauſſam poſſeſsionis naturalis. Videri poteſt Covar. in Comment. hujus regulæ *Poſſeſſor* p. 2. §. 5. *num*. 3. & ſeq. ff. de acquir. poſſeſs.

49 Hactenus dicta circa heredem procedunt in herede univerſali. Quod ſi ſermo ſit de ſucceſsore, vel herede particulari, qualis eſt v. g. Legatarius, immo & quicumque bona fide ſuccedit alteri, ſive vivo, ſive defuncto in aliqua re quocumque titulo, ſive oneroſo, ut emptionis, permutationis, ſive lucrativo, ut donationis, legati &c. tali ſucceſſori particulari non nocere malam fidem anteceſſoris, docent paſsim Auctores ex l. *an vitium* 5. ff. de diverſis temporalibus præſcriptionibus, adeoque eumdem poſſe præſcribere; ita tamen ut tempus ejus præſcriptionis incipiat a propria poſſeſsione bonę fidei, non autem a tempore, quo anteceſſor mala fide poſſedit, ut notat

Gloſs.

Gloſs. in eadem l. *an vitium*. Ratio diſparitatis, quare mala fides anteceſſoris noceat ſucceſſori univerſali, ſeu heredi, non autem noceat ſucceſſori particulari, eſt; quia heres per fictionem juris repræſentat perſonam defuncti, unde lib. 11. C. de acquirenda poſſeſsione, dicitur: *vitia poſſeſſionum a majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem culpa auctoris ſui comitatur*. At ſucceſſor particularis, cum non repræſentet perſonam defuncti, nec ſuccedat in ejus vitium; unde poteſt præſcriptionem incipere, ſi bonam fidem habeat.

50 Complebitur autem ejuſmodi præſcriptio, quando res ab ipſo bona fide fuerit poſſeſſa longo tempore, quale requiritur ad præſcribendum cum titulo, qui ſupponitur hic intervenire, exceptis tamen duobus caſibus. Primus eſt, ſi proprius illius rei dominus ignoret eſse eamdem alienatam, quia tunc ad præſcribendum non ſufficit poſseſsio longi temporis, ſed requiritur poſſeſsio temporis longiſſimi, perinde ac ſi titulus non interveniret, ut expreſſe dicitur in Authent. *Malæ fidei*, I. præſcript. longi tempori 10. vel 20. annorum; quod tamen intellige de re immobili, ut advertit Molin. tract. 2. de Juſtit. diſp. 65. quia in eadem Authent. ſermo eſse videtur de ſola præſcriptione rei immobilis: Secundus caſus eſt ſi res illa, quam ſucceſſor particularis bona fide accipit, ſit res *Furtiva*, aut *vi poſſeſſa*. Tales enim res uſucapi nequeunt, non ſolum a fure, aut violento occupatore, ſed etiam a quocumque alio, qui bona fide eas accipiat per emptionem, aut donationem, ut ſupra diximus ex §. *Furtivæ quoque res* in-

 ſtit.

ſtit. de Uſucapionibus. Ubi tamen notat Gloſs. quam communiter ſequuntur Doctores, id eſſe intelligendum de prçſcriptione ordinaria longi temporis, quæ completur triennio in rebus mobilibus; decennio in immobilibus inter prçſentes, & vicennio inter abſentes; non autem de præſcriptione longiſsimi temporis 30. aut 40. annorum; quod genus præſcriptionis admittunt in eo, qui bona fide ab alio acceperit rem furtivam, aut vi poſſeſſam, eamdemque bona fide poſsideat toto illo longiſsimo tempore, tamquam ſuam, pro qua ſententia facit l. *Sicut in rem* 3. & l. *Omnes* 4. C. de præſcriptione 30. aut 40. annorum. Videri poteſt Panor. in c. *Nihil* 2. de præſcriptionibus num. 7.

51 Ad complementum materiæ ſupereſſet aliquid dicendum de eo genere prçſcriptionis, per quam dicitur præſcribi contra legem, & conſiſtit in eo, quod per actus alicui legi contrarios bona fide continuatos a toto populo per ſpatium legitimi temporis, abrogetur vis, & obligatio ejuſdem legis. Sed de hac re ſermo erit ſuo loco, ubi de conſuetudine.

R E G. I I I.

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

1 HÆc regula deſumitur ex lib. 25. ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus, quç ita ſe habet. *Sine poſſeſſione uſucapio contingere non poteſt*, & ex aliis juribus, quæ hic citantur a Gloſſa. Caſus figurari poteſt ex c. *Cauſam* 7. de Præſcriptionibus, ubi cum quæſtio

eſſet.

eſſet inter Archidiaconum, & quemdam Laicum ſuper jure percipiendi decimas, quod Laicus prętendebat, eamdem decidendam commiſit Summus Pontifex Epiſcopo Parmenſi, non obſtante cujuſcumque temporis præſcriptione, ſi eam Laicus opponere voluiſſet, quia cum Laici ſpiritualia poſsidere non poſsint, cujus generis eſt jus decimandi; ideo nec poſſunt illa pręſcribere.

2 Ad clariorem intelligentiam regulæ præmittendum eſt, quid, & quotuplex ſit poſſeſſio. In lib. 1. ff. de acquirenda, vel amittenda poſſeſsione, habetur nomen poſſeſsionis derivari a ſedium poſitione, ſeu ut alii legunt a pedum poſitione, quia ſcilicet unus ex præcipuis actibus, quo capitur poſſeſsio rerum immobilium, eſt pedum in eis poſitio, aut ſeſsio, ſicut unus ex pręcipuis actibus, quo capitur poſſeſsio rei mobilis, eſt ejus apprehenſio manu, ut colligitur ex eadem lib. 1. §. 2. Definitur autem multipliciter a Juriſtis. Reliquis omiſsis ea definitio probabilior, & clarior eſſe videtur, quam ex Hoſtienſi in ſumma, aliiſque Doctoribus ita format Molina tr. 2. de Juſtit. diſp. 12. *Eſt apprehenſio rei corporalis vera, vel ficta, corpore, & animo, juriſque adminiculo.* Quia tamen hęc definitio potius explicat modum, quo poſſeſſio acquiritur, quam eſſentiam ipſam poſſeſsionis; propterea ex eodem Molin. ibid. diſp. 17. paucis immutatis, eſſentia ipſa poſſeſsionis poteſt ita definiri: *Eſt inſidentia actualis aut quaſi habitualis in re aliqua, ex apprehenſione corpore, & animo juris adminiculo provenient.*

3 Dicitur *rei corporalis*, quia propria, & rigoroſa poſſeſsio non cadit, niſi ſuper re cor-

porali. Incorporalia enim, ut ſunt jura, ſervitutes, &c. non dicuntur proprie poſſideri, ſed quaſi poſſideri, ut ſumitur ex §. 1. Inſtitut. de interdictis, & ex cap. *cum Eccleſia* 3. de cauſsa poſseſsionis, & proprietatis, quamvis etiam textus aliqui reperiantur, in quibus incorporalia poſſideri dicuntur, ſumpto latius nomine poſſeſsionis. Quod ſi definitionem poſseſsionis habere velis, quæ ad incorporalium etiam rerum poſſeſsionem extendatur, poſſet a definitione expungi illa particula *corporalis*, quemadmodum illam expungit Covar. in Comment. ad reg. *Poſſeſſor* part. 2. num. 1.

4 Dicitur *vera*, *vel ficta*, quia utriuslibet generis apprehenſio frequenter ſufficit ad poſſeſsionem. Apprehenſio vera eſt, quæ fit manibus, vel pedibus. Apprehenſio ficta, quæ fit per aliquem actum, qui ex diſpoſitione juris æquivalet veræ apprehenſioni, ut v. g. Si emptor a venditore domus accipiat claves ejuſdem domus; apprehendendo enim claves cenſetur res intus conditas apprehendere. Item ſi venditor oſtendat a longe fundum venditum, dicatque emptori ſe tradere illius poſseſsionem; Emptor autem ſignificet ſe acceptare, juxta textum in lib. 1. §. *ſi juſserim*, & in l. *quod meo* 18. §. *ſi Venditorem* ff. de acquirenda poſseſsione: & ſic de reliquis, quæ poſſunt videri apud Mol. diſp. 13. ubi etiam ex pluribus Doctoribus, & Juribus, notat, quando poſſeſsio non acquiritur interveniente voluntate prioris poſseſsoris, qui eam tradat, non poſse tunc comparari per actum fictum, ſed neceſsario intervenire debere actum verum; Unde

Unde fit, ut poſſeſſio earum rerum, quæ ante nullius erant, ſed fiunt primo occupantis, ut ferarum, non acquiritur niſi per veram apprehenſionem.

5 Dicitur *corpore, & animo*, quia ut res aliqua incipit poſſideri, non ſufficit, ut quomodocumque apprehendatur ſive manibus ſive pedibus, ſive oculis, vel in ſe, vel in alio, in quo cenſetur contineri: Sed præterea requiritur adminiculum animi ut ſcilicet apprehendatur animo poſſidendi. Inde eſt, quod depoſitarius v. gr. non dicitur poſſidere rem, quia non detinet illam animo poſſidendi tamquam Dominus, & ut habetur in l. 41. ff. de acquirenda poſſeſſione. Qui jure familiaritatis amici fundum ingreditur, non videtur poſſidere, quia non eo animo ingreſſus eſt, ut poſſideat, licet corpore in fundo ſit.

6 Demum dicitur, *Juriſque adminiculo*, quibus verbis non indicatur eſſe de ratione poſſeſſionis juſta: datur enim poſſeſſio, quæ eſt vere poſſeſſio, & ſimul eſt injuſta, ut eſt poſſeſſio rei furto ablatæ. Senſus ergo eſt, quem tradit Bart. ad l. 1. ff. de acquirenda poſſeſs. Videlicet eſſe de ratione poſſeſsionis, ut apprehenſio rei non reddatur invalida a jure in ordine ad effectum conſtituendæ poſſeſſionis, quemadmodum v. gr. apprehenſio loci ſacri, quæ fit a Laico non eſt vera poſſeſſio, quia a jure poſitivo Laicus factus eſt incapax poſſeſſionis loci ſacri, adeoque etiamſi corpore, & animo locum ſacrum occupet, non propterea dicitur habere poſſeſſionem ejuſdem, ut conſtat ex *l. qui univerſas* 30. §. *Poſſeſſionem* ff. de acquirenda poſſeſſione.

7 Advertendum tamen hic eſt, iſta procedere de Jure communi, & ubi lex aliqua poſitiva, ſeu conſuetudo legitime præſcripta aliter non ſtatuerit circa aliquam materiam particularem. Alicubi enim datur lex, vel conſuetudo, ut aliquarum rerum poſſeſsio transferatur abſque ulla apprehenſione vera, vel ficta earumdem rerum, puta, ut poſſeſsio defuncti transferatur in ejus heredem abſque eo quod heres ullum actum apprehenſionis exerceat, ut fuſe explicat Covar. lib. 3. Variar. reſolutionum cap. 5. num. 6. quare pro iis ſpectandæ erunt leges, & conſuetudines regionum, quia modus capiendæ poſseſsionis magna ex parte pendet a jure poſitivo.

8 Quæri poteſt quinam ſint actus, quibus apprehendi ſolet poſseſsio ſervitutum, & jurium incorporalium, puta juris eligendi, præſentandi, & ſimilium.

9 Reſp. poſſeſsionem ſervitutum, & jurium apprehendi poſse dupliciter; nempe per hoc, quod ille, ad quem pertinet poſseſsionem concedere, immittat poſseſsorem in eum locum, cui jus affixum eſt, animo concedendi tale jus, & talis poſseſsor illuc eat eodem animo, nempe accipiendi tale jus, & ibidem aliquem ejuſdem juris uſum exerceat. Secundo apprehenditur quaſi poſseſsio juris per hoc, quod aliquis utatur jure tamquam ad ſe pertinente, ſciente, & ferente eo, ad quem pertinet concedere, vel prohibere; dummodo tamen juris uſus ſit talis, ut ex illius natura, & circumſtantiis credatur non conceſsus, aut permiſsus pro tunc ex gratia, ſed ut ſpectans ex jure ad exercentem. Videri poteſt Covar. ad reg.

Poſſeſſor. p. 2. §. 8. & lib. 3. Variar. reſ. c. 16. ubi plura tradit circa beneficiorum poſſeſſionem, & Molin. de Juſt. tr. 2. diſp. 14.

10 Poſſeſſio ſolet a Juriſtis multipliciter dividi. Præcipua diviſio eſt in poſſeſſionem naturalem, & civilem, quæ diviſio deſumitur ex *l. Nemo* 10. C. de acquirenda poſseſsione. Poſseſsio naturalis eſt, cum quis detinet corporaliter rem cum animo eam poſsidendi, aut habendi, ut ſuam ſive juſte, ſive injuſte, ſed vel non cum animo proprii dominii, vel ſine adminiculo juris tribuentis dominium, ut ſi quis v. gr. occupet animo poſſidendi aliquam rem alienam, cujus dominus alio diſceſſerit, aut quomodolibet ignoret eam occupationem. Dixi *cum animo poſsidendi*, quia ſi quis rem alienam teneat, non animo eam poſsidendi, ſed ſolum ea utendi, aut eam cuſtodiendi, &c. is proprie non diceretur rem poſsidere naturaliter. Poſseſsio civilis eſt, cum quis, ſi non corpore, ſaltem animo, vel actuali, vel habituali rem detinet cum jure, & affectione dominii, reputans ſe dominum eſſe. Hujuſmodi poſseſsionem in re ſua retinet etiam, qui ab ea corporaliter diſcedit, & alio proficiſcitur, item dormiens, & nihil de re, quam poſsidet, cogitans, &c. & hæc eſt, quæ potiſſimum attenditur in jure, & a qua dicitur ſimpliciter quis poſſidere; unde eadem eſt, quæ præſcriptionem inducit.

11 Hinc infertur, quod quamvis ab initio, ut poſseſſionem inchoes, requiratur adminiculum animi pariter, & corporis, ut ſupra explicatum eſt; attamen, ut poſſeſsionem continues,

ſufficit animus retinendi rem, & continuandi poſſeſſionem, ut expreſse habetur in §. *poſſidere*. Inſt. de Interdictis, & in l. *Clam.poſſidere* 6. §. *qui ad nundinas* ff. de acquirenda poſseſſione; ubi dicitur, quod ſi quis ad nundinas profectus neminem reliquerit in re ſua, & dum ille a nundinis redit, alius occupet poſseſsionem; talis occupator habebit quidem poſſeſſionem naturalem, ſed poſſeſſio civilis remanet apud eum, qui ad nundinas abiit, quouſque revertens excludatur ab occupatore, aut deſiſtat a re ſua repetenda, in quo caſu cenſetur dejectus a poſſeſsione civili; alius autem, qui antea ſolum poſſidebat naturaliter, incipit poſſidere etiam civiliter, quamvis injuſte, & vi, ut habetur in eod. §. 8. citatæ legis *Clam poſſidere* juncta Gloſs. ibid.

12 Alia etiam poſſeſsionis diviſio affertur a Gloſsa ad præſentem regulam Juris, videlicet alia eſt poſſeſsio, quæ habet plurimum juris, & modicum facti; alia, quæ habet plurimum facti, & modicum juris. Poſſeſsio habens plurimum juris, & modicum facti dicitur, quando per alium, quaſi per Procuratorem acquiritur: in tali enim modo acquirendi plus operatur diſpoſitio legis ſtatuentis, ut cenſeatur principalis acquirere id, quod ejus procurator ipſius nomine acquirit; quam operetur factum hominis principalis poſſeſsionem acquirentis, qui potius nihil proprie operatur in acquirenda illa poſſeſsione. E converſo poſseſsio habens plurimum facti, & modicum juris, dicitur quando quis per ſe ipſum poſſeſsionem acquirit: in tali enim modo acquirendi non opus eſt ulla fictione legis; quandoquidem actus requiſiti ad acqui-

acquirendam poſſeſsionem proprie ponuntur ab illo eodem, qui poſſeſsionem acquirit.

13 Hęc diviſio, & explicatio fundatur in doctrina communi deſumpta ex lib. 1. §. *Item &* ſeqq. ff. de acquirenda poſſeſsione, & ex *l. poſſeſſio* 49. eodem titulo quæ docet poſſe ab aliquo poſſeſsionem acquiri non ſolum per ſeipſum, ſed etiam per alios, puta per Filios, Servos, Tutorem, Curatorem, Procuratorem, &c. nam ut habetur in *l. generaliter* 9. ff. de acquirenda poſſeſsione, unuſquiſque poſsidere cenſendus eſt id, quod alius ejus nomine poſſidet: unde ejuſdem legis rubrica deducit, quod relicto cuſtode in fundo dominus abſens non ſolum retinet poſſeſsionem civilem animo ſuo, ſed etiam poſſeſsionem naturalem corpore cuſtodis, quia poſſeſsio cuſtodis poſsidentis nomine domini cenſetur eſſe poſſeſsio domini. Hoc autem adeo procedit circa acquiſitionem poſſeſsionem factam per alium, ut verificetur etiam quando ille, cui poſſeſsio per alium acquiritur, actualiter ignorat ſibi per alium acquiri poſſeſsionem, ut colligitur ex citat. lib. 1. & expreſſe habetur in *l. poſſideri* 3. §. *Saltus*, ff. de acquirenda poſſeſsione, & in lib. 1. C. eodem tit. & in *l. ſi Emptam* 2. ff. pro ſoluto.

14 Ubi tamen adverte, quod quamvis in prædicto caſu poſſeſsio per alium acquiratur etiam ignoranti, ille tamen ignorans, quamdiu ignorat regulariter non inchoat præſcriptionem, ut expreſſe dicitur in ead. *l. ſi Emptam*; Ratio diſparitatis quare ignorans inchoare poſſit poſſeſsionem, non autem præſcriptionem, affertur ibidem a Gloſs. quia ſcilicet in uſuca-

pione rei requiritur bona fides; ignorans autem poſſeſſionem ſibi per alium acquiſitam, neque bonam fidem habet, neque malam. Quare ut choetur præſcriptio opus eſt, ut principalis poſſionem ſibi per alium acquiſitam ſciat, eamque ratam habeat cum bona fide. Et ſic facile conciliantur leges, quarum aliquæ videntur negare poſſeſſionem ignoranti, ut videre eſt in *l. peregre* 44. §. *quæſitum* ff. de acquirenda poſſeſſione; Si enim alicubi poſſeſſionem negant ignoranti, loquuntur de poſſeſſione præſcriptiva, ſeu in ordine ad effectum præſcriptionis.

15 Dices: poſſeſſio non acquiritur niſi corpore, & animo, ut patet ex ſupradictis; atqui ignorans non habet actualiter animum poſſidendi: ergo &c. Reſp. ignorantem in tali caſu habere animum poſſidendi, ſi non proprie, & in ſe, ſaltem per fictionem juris, quia ejus animus ſuppletur per animum alterius, qui ejus nomine poſſeſſionem apprehendit.

16 Dictum eſt de modo, quo acquiritur, & continuatur poſſeſſio: dicendum aliquid ſupereſt de modo, quo amittitur, quę eſt altera pars rubricæ in lib. 41. ff. tit. 2. Jam vero rerum mobilium poſſeſſio pluribus modis amitti poteſt. Primo enim amittitur animo poſſeſſoris, ſi videlicet ille, qui hactenus poſſedit, deponat abſolute animum poſſidendi, idque procedit etiamſi corporaliter rem non relinquat, ut puta ſi eamdem rem adhuc corporaliter detineat tamquam cuſtos, aut depoſitarius, aut quomodolibet nomine alterius. Deſumitur ex *l. poſſideri* 3. §. in amittenda ff. de aquirenda, vel amittenda poſſeſsione; & ratio patet ex dictis, quia ſcilicet id, quod potiſsimum

atten-

attenditur in poſſeſſione eſt adminiculum animi, unde eo adminiculo abſolute ceſſante, poſſeſſionem quoque ceſſare neceſſe eſt. Dixi *ſi deponat abſolute animum poſſidendi*. Quia ſi quis talem animum deponat ſolum ſub tacita, vel expreſſa conditione, ut poſſeſſio in alium transferatur; tunc ſi ille alius poſſeſſionem non acquirit, neque prior poſſeſſor poſſeſſionem amittit, ut expreſſe habetur in *l. ſi me* 34. de acquirenda poſſeſſione.

17 Secundo amittitur rerum mobilium poſſeſſio per furtum, aut rapinam alterius, ex *l. rem, quæ nobis* 15. ff. de acquirenda poſſeſſione, & ex *l. poſſideri* §. *ſi rem* ff. eod. tit. ubi etiam dicitur amitti poſſeſſionem rei apud alium depoſitatæ, ſi ille depoſitarius ſuſcipiat animum poſſeſſionis, ſeu incipiat eamdem rem detinere tamquam ſuam; ad quod tamen requiritur, ut eam corporaliter apprehendat, moveatque de loco ſuo, quia, ut dicitur in ead. l. furtum rei ſine ejus contrectatione non fit.

18 Tertio amittitur poſſeſſio rei mobilis per hoc, quod res ita amittatur, ut fiat extra cuſtodiam poſſeſſoris, nec poſt diligentem inquiſitionem reperiri poſſit, quamvis interim nullus alius eam poſſideat. Hinc animalia per fugam deſinunt poſſideri, dummodo tamen talia non ſit, ut conſuetudinem habeant redeundi. Ita in cit. leg. *Poſſideri* §. *Nerva*, *&* §. *item Feras*, ubi plura habentur circa varias animalium ſpecies, eorumque poſſeſſionem, aut amiſſionem poſſeſſionis. Servi tamen, & ancillæ poſſeſſio non amittitur per eorum fugam, ex *l. Pomponius* 13. ff. de acquirenda poſſeſſione.

19 Rerum etiam immobilium poſſeſſio pluribus

bus modis amitti poteſt. Amittitur enim per occupationem ab alio factam, cum animo rem poſsidendi, ubi tamen adverte ex ſupradictis, quod ſi talis occupatio facta ſit ignorante domino, aut antiquo poſſeſſore, quamdiu durat talis ignorantia, non acquiritur occupatori, niſi ſola poſseſsio naturalis; ſiquidem poſſeſsio civilis durat apud priorem poſſeſſorem ignorantem, qui adhuc retinet animum poſſeſsoris, ut conſtat ex *l. clara poſſidere 6. §. qui ad nundinas* ff. de acquirenda poſſeſsione, adeoque acquiri non poteſt ab occupatore, quia ejuſdem ſpeciei poſſeſsio apud plures eſse in ſolidum non poteſt; ut expreſse habetur in *l. poſſideri 3. §. ex contrario*, ff. de acquirenda poſseſsione. Ut igitur in tali caſu amittatur ab antiquo poſſeſſore etiam poſſeſsio civilis, opus eſt, ut, vel poſtquam ſciverit rem ab alio occupatam, negligat, vel repetat quidem ſuam poſſeſsionem, ſed ab occupatore repellatur, nec poſsit, aut velit ei reſiſtere, vel arbitrans ſe nec admittendum, nec prævaliturum, deſiſtat aggredi talem poſſeſsionem: quia ſcilicet ad amiſsionem poſſeſsionis civilis requiritur ſcientia, & patientia prioris poſseſsoris. Ita deſumitur ex *l. Clam poſſidere 6. §. qui ad nundinas*, *l. & ſi nolit* 7. *l.* 5. *ſi id*, *quod §. quod autem* ff. de acquirenda poſſeſsione. *Quamvis ſaltus* 46. de acquir. poſseſs. Atque hic nota diſcrimen inter mobilia, & immobilia pro re præſenti. Poſſeſsio enim rerum mobilium amittitur etiam ignoranti, ut docet Gloſs. in ead. *l. quamvis ſaltus*, & expreſſe habetur in *l. ſi rem mobilem* 47. ff. eod. tit.

20 Item amittitur poſſeſsio rei immobilis per negli-

negligentiam domini, qui longo tempore abfuerit, nec aliquem ſuo loco reliquerit, neque etiam proteſtetur ſe nolle amittere poſseſsionem, in quo caſu preſumitur dominus oblitus ejuſdem rei. Ita deſumitur ex *l. furtum* 37. ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus.

21 Demum aliis omiſsis, quę videri poſsunt apud Juriſtas in tit. de acquirenda, vel amittenda poſseſsione, amittitur, &c. poſseſsio rei immobilis per ejus occupationem a mari, vel a flumine, non quaſi per tranſitum, ſed permanenter, ut conſtat ex *l. poſſideri* 3. §. Labeo ff. de accquir. poſseſs.

22 His circa poſseſsionem pręſuppoſitis, intentum præſentis regulæ eſt, poſseſsionem ad præſcribendum eſſe neceſſariam, ita ut res præſcribi non poſsit, niſi ea a præſcribente poſsideatur. Immo juxta communem Doctorum ſententiam, nec quæcumque poſseſsio ſufficit; ſiquidem ſola poſſeſsio naturalis ſatis non eſt, ſed requiritur civilis, quæ ſpecialiter intelligitur nomine poſseſsionis. Videri poteſt Covar. in Comment. ad reg. *poſſeſſor* p. 2. in princ.

23 Hinc infertur quod ſi quis, abſente domino, aut ignorante, occupet aliquam ejus rem immobilem, non poteſt illam præſcribere, quia ſolum habet poſseſsionem naturalem. Idem contingit, ſi interim ille occupator eamdem rem alteri vendat; qui eam bona fide emat, atque retineat; quia neque ille emptor bonæ fidei poterit rem illam præſcribere, cum ſolam habeat ejus rei poſseſsionem naturalem; civilis vero poſseſsio ſit apud dominum abſentem ignorantem, quouſque reverſus, & ſciens ad poſſeſsionem non admittatur, aut ex aliqua

qua ratione ab ea aggredienda deſiſtat, ut patet ex dictis.

24 Item infertur, quod ſi quis ſit incapax poſſeſſionis, aut dominii alicujus rei non poſſit illam præſcribere. Hinc eſt, quod diximus ab initio explicationis hujus regulæ, videlicet Laicos præſcribere non poſſe jus exigendi decimas nomine, & auctoritate propria, ut habetur in C. *Cauſa* 7. de præſcriptionibus; quia tale jus eſt ſpirituale, & ad Eccleſiaſticos pertinens. Laici autem ex diſpoſitione legis de ſe non ſunt capaces poſſeſſionis rerum ſacrarum.

25 Præterea infertur, colonum, depoſitarium, alioſque ſimiles, qui alterius nomine rem detinent, præſcribere ipſam non poſſe, & ſi ipſam alteri vendant, neque emptorem, quamvis ſit bonæ fidei poſſe illam præſcribere, quia ſcilicet non habent poſſeſsionem civilem, quæ perſeverat in proprietario. Uſufructuarius etiam cum non poſsideat civiliter proprietatem rei, ſed ſolum jus utendi, non poteſt proprietatem præſcribere, ſed ſolum jus utendi.

26 Addo cum communi Doctorum ſententia, ad præſcribendum neceſſe eſſe, ut civilis poſſeſsio rei non ſit interrupta, ſed continuata toto tempore ad præſcriptionem requiſito; adeoque interrupta poſſeſsione, etiam præſcriptionem interrumpi, ita ut ſi, redeunte poſſeſsione, impoſterum ſit præſcribendum, neceſſe ſit incipere, & percurrere denuo totum tempus ad præſcriptionem requiſitum; quod colligitur ex C. *illud* 8. de præſcriptionibus. Ad hujus rei clariorem intelligentiam, adverte diſcrimen, quod eſt inter præſcriptionem interrumpi, præſcriptionem dormire, & præſcri-

ſcriptionem non currere, qui modi loquendi ſunt ſatis frequentes apud DD. in materia de præſcriptionibus. Præſcriptio interrumpi dicitur, quando tempus præſcriptionis præteritum redditur ineptum ad præſcriptionem, ita ut ſi impoſterum præſcribendum ſit, neceſſe ſit iterum incipere, & percurrere totum tempus ad præſcriptionem requiſitum. Contingit talis interruptio dupliciter; ſcilicet naturaliter, vel civiliter. Interrumpitur naturaliter, quando aliquid ceſſat de ſubſtantialibus requiſitis, puta ſi ceſſet poſſeſsio civilis, aut bona fides. Interrumpitur civiliter, quando intervenit actus aliquis juridicus, aut legalis, qui ex diſpoſitione legis habeat interrumpere præſcriptionem, ut eſt verbi gratia conteſtatio litis in ordine ad interrumpendam præſcriptionem longiſsimi temporis. Videri poteſt Panorm. in cit. C. *illud* n. 6. & ſeqq.

27 Præſcriptio dicitur dormire, quando per aliquod tempus ſuſpenditur ejus curſus, ita ut detracto tempore, in quo dicitur dormire poſsit computari tempus præteritum ante dormitionem, cum tempore ſequente poſt dormitionem, & ex utroque conſtitui unum integrum tempus neceſſarium ad præſcribendum. Hoc modo dicitur dormire præſcriptio contra pupillum, quamdiu durat ejus ætas pupillaris, ut conſtat ex *l. ſicut* 3. Cod. de præſcriptione 30. annorum. Secundo contra Eccleſiam carentem Prælato, aut habentem Prælatum impotentem ad agendum, ut patet ex capite 1. & ex Canone *auditis* 15. de Præſcriptionibus. Tertio dormit præſcriptio tempore belli, juxta textum expreſſum

in

in *C. ex tranſmiſsa* 10. de præſcriptionibus. Videri poteſt Mol. *de juſt. tr.* 2. *diſp.* 78.

28 Dicitur demum præſcriptio non currere, quia non incipit, ex eo quia ab initio aliquid deficiat ad præſcriptionem requiſitam, ut puta, quia res non erat præſcriptibilis, aut quia quis erat incapax poſseſsionis, aut dominii, aut quia jura præſcriptionem impediebant, in quo ultimo caſu neque ſufficit poſseſsio longiſsimi temporis, niſi cum bona fide probetur etiam titulus, aut niſi ſit poſseſsio tanti temporis, ut de memoria contrarii non exiſtat, juxta textum epreſsum in cap. 1. de præſcriptionibus in *6.*

29 Quæres utrum ſi quis bona fide ſuccedat alteri in poſſeſſione alicujus rei, poſſit computare tempus, quo prior poſſeſſor poſſedit, ita ut ex illo tempore, & ſimul ex eo, quo ipſe ſucceſſor poſſidet, componatur unum integrum tempus poſſeſſionis ad complendam præſcriptionem, quod Juriſperiti vocant, uti acceſſione temporis auctorum in ordine ad præſcribendum?

30 Reſp. ex ſupra dictis in explicatione regulæ præcedentis, vel eſſe ſermonem de ſucceſſore univerſali, qualis eſt heres, vel de ſucceſsore particulari, qualis eſt legatarius, donatarius, emptor &c. Ruſus vel eſſe ſermonem de ſucceſſore ſuccedente alteri, qui & poſſedit, & præſcriptionem inchoavit, ſed abſolvere non potuit, quia antequam compleretur tempus præſcriptionis, res tranſivit ad manus poſſeſſoris; vel eſſe ſermonem de ſucceſſore, qui alteri ſuccedat a quo præſcriptio inchoari, & continuari non potuit; puta, quia habuit

malam

malam fidem, ſive veram ſive per fictionem juris, qualem ſupra diximus habere heredem immediatum poſſeſſoris malæ fidei.

31 Succeſsor ſive univerſalis, ſive particularis ſuccedens alteri, qui præſcriptionem inchoavit, & continuavit uſque ad tempus translatę poſseſsionis, poteſt uti poſſeſsione ſui anteceſſoris, ejuſque tempus computare pro complenda præſcriptione, ut v. gr. ſi anteceſsor bona fide poſsedit, & præſcriptionem continuavit poſt 8. annos continuos inter præſentes, ſi immediate poſt illos 8. annos ſucceſsor bona fide continuet poſseſsionem per alios duos annos continuos inter præſentes, elapſis iis duobus annis præſcriptio erit completa. Ita habetur expreſse in §. *inter Venditorem*, & §. *divina* Inſtit. de uſucapionibus; ubi tamen id, quod additur, hoc procedere, etiamſi ſucceſſor interim cognoſcat rem illam poſseſsam eſſe alienam, emendatum eſt a jure Canonico, quia de jure Canonico requiritur, ut bona fides ſit continuata toto tempore poſseſſionis ad præſcriptionem requiſito. Ratio autem eſt manifeſta, quia in tali caſu translata rei poſseſsione, transfertur etiam omne jus, quod habuit anteceſsor circa eamdem rem. Cum igitur anteceſsor habuerit jus eam rem ſibi præſcribendi intra tempus legitimum, cujus partem jam explevit, conſequenrer tranſlatum eſt etiam hoc jus in ſucceſsorem bonæ fidei, ut expleto reliquo tempore res præſcribatur.

32 Econverſo ſucceſsor ſive univerſalis, ſive particularis ſuccedens alteri, qui poſsedit mala fide, vel vera, vel per fictionem juris, talis inquam

quam ſucceſſor non poteſt computare tempus poſſeſsionis ſui anteceſſoris ad complendam præſcriptionem, ut ſumitur ex l. *An vitium* 5. ff. de diverſis temporalibus præſcriptionibus, & ex l. *Pomponius* 13. ff. de acquirenda poſſeſs. Ratio autem eſt manifeſta: quia poſseſsio anteceſſoris fuit per ſe inutilis ad præſcriptionem, utpote carens bona fide: ergo non poteſt ea computari ad præſcriptionem complendam. Adde ex ſupradictis, quod ſi ſermo ſit de ſucceſsore univerſali, nempe de herede poſseſsoris malæ fidei veræ, & realis, talis heres non ſolum poteſt uti acceſsione temporis, quo auctor poſſedit propter rationem aſsignatam, ſed neque poteſt ipſe præſcribere per ſuam propriam poſſeſsionem, quamvis ſit bonæ fidei: quia ſcilicet cum per fictionem juris repræſentet perſonam defuncti, cenſetur etiam per fictionem juris habere malam fidem, quam habuit defunctus; poſseſsor autem malę fidei ullo tempore non pręſcribit.

33 Contra regulam hactenus explicatam, nonnulla objiciuntur, & ſolvuntur a Gloſsa. Primum eſt, captus ab hoſtibus præſcribere poteſt, ex *l. Juſto* 44. §. ult. ff. de uſurpationibus, vel uſucapionibus, & tamen captus ab hoſtibus nihil poſsidet cum ab alio poſsideatur, ex *l. Cum hæredes* 23. §. *in his* ff. de acquirenda poſſeſs. Ergo falſum eſt, quod ſine poſseſsione præſcriptio non procedat. Secundo, quia in C. *contingit* 9. de dolo, & contumacia habetur, quod quando actor ex decreto juris debet poni in poſseſsione rei cuſtodiendæ, & propter dolum, vel potentiam rei non admittitur, vel admiſsus rejicitur, tranſacto anno efficitur verus poſseſsor; adeoque in tali caſu actor ille,

quam-

quamvis vere non poſsideat, attamen præſcribit annaliter. Ergo præſcriptio procedit ſine vera poſseſsione.

34 Reſp. ad primum diſt. ant. captus ab hoſtibus præſcribere poteſt per ſe ipſum id, quod per ſe ipſum poſsidebat, nego ant. præſcribere poteſt per alium, quem habebat in poteſtate, quando captus fuit, quam poteſtatem per fictionem juris, cenſetur continuaſse toto tempore captivitatis, poſtquam liberatus fuit, conc. ant. Eamdem quoque diſtinctionem admittit altera pars antecedentis: Ubi dicitur, quod captus ab hoſtibus nihil poſsidet; quamvis enim nihil per ſe ipſum poſsideat, poſsidere tamen poteſt per alium, quem in ſua poteſtate habet, puta per ſervum, aut filium. Deſumitur hæc diſtinctio ex *l. ſi poſtliminio* 29. *ff. de Captivis, & poſtliminii*, & ex *l. ſi is, qui* 15. ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus. Juxta cujus ſenſum expreſsum intelligenda etiam eſt objecta lex *Juſto*, ubi quando ſolum dicitur exiſtens in captivitate poſse præſcribere, conceditur id tantum de iis rebus, quas iterum ejus ſervus, aut filius ex cauſsa peculii poſsidet; unde in tali caſu non admittitur præſcriptio ſine qualibet poſseſsione, quandoquidem poſseſsio ſervi, aut filii cenſetur per fictionem juris eſse poſſeſsio domini, aut patris.

35 Ad ſecundum reſpondetur caſum illum expreſsum in C. *Contingit*, non eſse contrarium doctrinæ traditæ de neceſsitate poſseſsionis ad præſcribendum. Quod enim in eod. C. dicitur, eſt, actorem illum per dolum, aut vim prohibitum a Reo, ne poſseſsionem capiat; elapſo anno cenſendum eſse tamquam poſseſso-

rem,

rem, ne ſcilicet alter, qui illum ita prohibuit, commodum, & utilitatem reportet de malitia ſua; adeoque beneficium conceſſum ab illo Canone eſt tantummodo in ordine ad acquirendam poſſeſſionem: Totum autem hoc non eſt contrarium iis, quæ diximus circa neçeſſitatem poſſeſſionis in ordine ad acquirendum dominium per præſcriptionem. Aliæ etiam ſolutiones ejuſdem objectionis videri poſſunt apud Gloſ. in præſenti reg. Juris *v. non procedit*.

R E G. IV.

Peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum.

1 HÆc regula deſumitur ex S. Auguſt. in Epiſt. 54. ad Macedonium, cujus verba referuntur a Gratiano in cap. *ſi res aliena* 1. 14. quæſt. 6. & ab Alexandro III. in C. *cum tu* 5. de Uſuris, ex quo caſus figurari poteſt, ſicut & ex *l. ſequitur* 4. §. Quod autem ff. de Uſurpationibus, & Uſucapionibus, ubi dicitur, vitium furti non purgari, niſi res revertatur in poteſtatem veri Domini, nec ſufficere, quod revertatur in poteſtatem illius, cui fuit ſubrepta, ſi non erat verus Dominus, ſed cuſtos, &c.

2 Ad clariorem intelligentiam regulæ notandum eſt, primo nomine peccati hic ſpecialiter intelligi peccatum illud, quod committitur tum per injuſtam ablationem rei alienæ; tum etiam per injuſtam detentionem; ſiquidem quoad periculum animæ, & quoad inducendam obligationem reſtituendi, ſimilia ſunt

inju-

injuſte detinere, ac invadere alienum, ut habetur in C. *Sæpe contingit* 18. de reſtitutione Spoliatorum: item intelligi peccatum, quod committitur in inferendo injuſte alteri damnum, etiamſi nihil utilitatis inde perveniat ad eum, qui injuſte damnum intulit, quia etiam in tali circumſtantia peccatum illud non dimittitur, ſi damno paſſo, ſufficienti reſtitutione non compenſetur, ut notat Gloſ. in hanc reg. *v. ablatum*, & ſumitur ex *c. ſi quis de Clericis* 39. 12. *q.* 2. & ex toto titulo de Injuriis, & damno dato, qui eſt in quinto Decretal.

3 Notandum eſt ſecundo, remiſſionem peccati ſumendam eſſe hic tum prout conceditur a Deo, tum etiam prout ponitur ab Eccleſia per abſolutionem Sacramentalem: quia neque Deus prædictum peccatum condonat, neque Sacerdos ſacramentaliter abſolvere debet, niſi fiat ſufficiens reſtitutio, ubi ea fieri poſſit, aut niſi ſerium, & efficax reſtituendi propoſitum interveniat ubi poterit, ſuppoſito tamen, quod is, cui facienda eſſet reſtitutio, eam liberaliter non remiſerit.

4 His præſuppoſitis, intentum præſentis regulæ eſt, peccatum injuſtitiæ, quod committitur in auferenda, ſeu retinenda re aliena, & univerſaliter in inferendo alteri damnum, non remitti apud Deum, & ab Eccleſia ſacramentaliter non abſolvi, niſi damnum illatum ſufficienti reſtitutione compenſetur. Ratio eſt manifeſta: quia quamdiu tale damnum ſufficienter non compenſatur fit voluntarie nocumentum, & injuria proximo, unde in ſupra cit. C. *Sæpe contingit*, dicitur non multum intereſſe quoad periculum animæ, injuſte detinere,

ac invadere alienum. Voluntarie autem faciens nocumentum, & gravem injuriam proximo non eſt diſpoſitus, ut a peccato veteri abſolvatur.

5 Id autem intelligendum eſt, ſi facultas ſuppetit reſtituendi rem ipſam ablatam, vel ſaltem ejus æſtimationem, caſu quo res ablata perierit, etiam ſine culpa ſua, ut notat Gloſ. in hac reg. *v. peccatum non dimittitur*. Quod ſi quis eſſet ita inops, ut neque rem poſſet reſtituere, eo quod non ſuperſit, neque ullam ejus æſtimationem; tunc excuſabitur quidem ab actuali reſtitutione, quia nemo poteſt ad impoſsibile obligari juxta reg. 6. de reg. juris in 6. requiritur tamen, ut habeat ſerium, & efficax propoſitum reſtituendi, cum poterit, & ſi contingat ipſum ad pinguiorem fortunam venire, reviviſcit obligatio actualis reſtitutionis.

6 Quia vero ad reſtitutionem obligatur, non ſolum, qui rem alienam ſumpſit, ſed etiam, qui apud ſe illam habet, quamvis eamdem ipſe non ſumpſerit, ſed bona fide poſſederit; propterea docent communiter auctores, duas eſſe in univerſum radices, ex quibus reſtituendi obligatio naſci poteſt; videlicet injuſtam acceptionem, & rem acceptam. Obligatio reſtituendi orta ex injuſta acceptione reperitur in eo, qui rem alienam injuſte uſurpavit, vel læſit, aut deſtruxit, vel invito Domino detinuit; vel quomodolibet alteri injuſte damnum intulit. Ad hoc genus etiam revocatur obligatio, quam habet, qui incepit quidem bona fide rem alienam poſſidere, ſed poſtea, bona fide ceſſante, poſſidet fide mala; nam ut ſupra dictum eſt, non multum intereſt quoad peri-

cu-

culum animæ inter injuſte detinere, ac invadere alienum. Obligatio reſtituendi ratione rei acceptæ datur in eo, qui rem alienam bona fide poſſedit, ſtatim ac cognoſcit rem eſſe alienam. Ubi vides diſcrimen, quod intercedit inter utrumque genus obligationis: obligatio enim reſtituendi, quæ naſcitur ex ſola re accepta, non ſupponit ullam formalem injuſtitiam, & injuriam commiſſam ab illius rei poſſeſsore, adeoque non exigit ullam ſatisfactionem ab eodem præſtandam ultra actualem rei reſtitutionem. E converſo obligatio reſtituendi ratione injuſtæ acceptionis; cum ſupponat ex parte poſſeſsoris injuſtitiam, & injuriam, non ſolum petit, ut damnum illatum reparetur, mediante rei reſtitutione, ſed etiam, ut injuria irrogata per ſufficientem ſatisfactionem compenſetur.

7 Plurima circa hoc utrumque genus obligationis dici poſsent, ab iis tamen abſtineo, quia videri commode poſsunt apud Theologos Morales, ubi tractant de reſtitutione, cum præſertim plura a nobis dicta fuerint in ſuperioribus regulis circa poſſeſsorem bonæ, vel malæ fidei.

8 Unum hic inter reliqua notaſse ſufficiat circa fructus ex re aliena perceptos, quod ii etiam reſtituendi ſint cum ipſa re, ſuppoſito, quod ſint fructus rei, & non ſolius induſtriæ, ut conſtat tum ex naturali jure æquitatis, quia res, quæ fructificat, domino ſuo fructificat, tum etiam ex l. *in Condemnatione* 133. ff. de diverſis reg. Juris, aliiſque textibus. Addo, quod præter rem, & fructus perceptos,

reſtitui quoque debeat omne damnum, quod ex injuſta rei ablatione Domino cauſsatum eſt, ut colligitur etiam ex *l. reſtituere* 35. & ex l. fin. ff. de verborum ſignificatione.

9 Illud tamen in hac re diſcrimen eſt inter poſseſsorem malæ fidei, & inter poſseſsorem bonæ fidei, quod poſseſsor malæ fidei ad id univerſaliter teneatur non ſolum quoad fructus extantes, ſed etiam quoad conſumptos, quorum ſaltem æſtimationem, & pretium reſtituere debet, ut conſtat ex l. Certum eſt 22. C. de rei vindicatione. E converſo poſseſsor bonæ fidei fructus omnes, qui extant, reſtituere debet Domino, ut docet communis ſententia poſt Gloſ. in l. *Et ex diverſo* 35. ff. de rei vindicatione v. *non habendam*; at ſi quos fructus bona fide conſumpſit, non tenetur reſtituere, niſi quatenus ex eis eſt factus ditior, puta quia illos vendidit, & pretium habet, vel quia niſi illos conſumpſiſset, tantumdem de ſuo fuiſset conſumpturus, vel quia ex illorum venditione auxit ſuum patrimonium, &c.

10 Hoc autem extendendum eſt tum ad fructus, quos vocant naturales, tum etiam ad fructus, quos induſtriales appellant, de qua fructuum diverſitate ſermo eſt in l. *fructus percipiendo* 45. ff. de Uſuris. Fructus naturales dicuntur, qui vel ſponte naſcuntur abſque ulla humana induſtria, vel ſaltem ad quorum productionem plus confert natura, quam hominis induſtria. Fructus induſtriales ſunt, qui ita proveniunt ab ipſa re cujus ſunt fructus, ut ſpecialiter etiam proveniant ab humana induſtria, quales verbi gr. ſunt quæſtus, & lucra, quæ ex re percipiuntur, mediante negotiatio-

ne.

ne. His fructibus ſimiles ſunt illi, quos civiles appellant, qui proprie non naſcuntur ex ipſa re, ſed accedente humana induſtria propter rem, ſeu uſum rei percipiuntur ex ſtatuto juris, quales ſunt reditus, domus, merces, ſeu pretium locationis &c. quamvis enim ea non ſint proprie fructus rei, cenſentur tamen tamquam fructus, ut patet l. *ſi navis* 62. ff. de rei vindicatione.

11 Jam vero pro omnibus his fructuum ſpeciebus locum habet doctrina tradita circa obligationem reſtitutionis faciendæ: adeoque fructus extantes tum mere naturales, tum etiam induſtriales, & civiles, ſive poſsideantur cum titulo, ſive ſine titulo, reſtituendi ſunt Domino: fructus autem conſumpti reſtitui debent quoad æſtimationem juſtam a poſseſsore malæ fidei; at a poſseſsore bonæ fidei, qui bona fide illos poſsederit, & conſumpſerit, reſtitui ſolum neceſſe eſt, quatenus ex eis factus eſt locupletior, ut dictum eſt. Videri poteſt Azor. p. 3. Inſtit. l. 4. c. 2. & ſeqq. Leſſ. de Juſt. lib. 2. c. 12. dub. 15. & ſeqq. aliique Theologi, & Canoniſtæ paſſim.

R E G. V.

Peccati venia non datur, niſi correcto.

1 Colligitur hæc Regula ex pluribus juribus citatis a Gloſ. & præſertim ex c. *Legatur* apud Gratian. cau. 24. q. 2. Caſus figurari poteſt ex c. *Quod quidem* 5. *de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, ubi Alex. III. conſultus, quid a Confeſſario agendum ſit, ſi quem crimino-

ſum contingat ad confeſſionem accedere abſque propoſito abſtinendi ulterius a peccato, reſpondit ejus confeſſionem audiendam eſse, & ſalutaribus monitis pœnitentiam indicendam eſse, quæ utilis erit, ſi non ad vitam æternam, cum ſit actualiter inimicus Dei, ſaltem ad hoc, ut facilius excitetur ad perfectam pœnitentiam; non tamen abſolutionem eſse ei impertiendam, quia peccati venia non datur, niſi correcto.

2 Pro clariori regulæ intellectu notandum eſt aliud eſse veniam culpæ, & reatus ad æternam pœnam, qui conſequitur ad pœnam lethalem, aliud veniam pœnæ temporalis. Jam vero intentum hujus præſentis regulæ non eſt de venia pœnæ temporalis; ſæpe enim contingit ejuſmodi pœnam etiam non emendato per pœnitentiam crimine relaxari, ut puta ſi ex impoſitione talis pœnæ probabiliter timeatur gravius aliquod damnum ſecuturum: quia ut dicitur in cap. *Ut conſtitueretur* 26. diſtin. 50. detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus ſanandis malis caritas ſincera ſubveniat; cujus indulgentiæ exemplum habes in cap. *denique* 7. diſtinct. 4. Senſus igitur eſt de venia culpæ, & reatus ad pœnam æternam: ea enim nemini condonatur, niſi mediante correctione.

3 Nomine autem correctionis hic intelligitur pœnitentia, hoc eſt enim ſupernaturalis dolor, ac deteſtatio de peccato, cum propoſito non peccandi de cetero. Cum autem ejuſmodi pœnitentia duplicis generis ſit, videlicet, vel imperfecta, qualis eſt, quæ concipitur ex turpitudinis peccati conſideratione, & ex gehennæ, & pœnarum metu, quæ vocari ſolet attri-

tritio; vel perfecta, & caritate formata, cujuſmodi eſt, quæ innititur motivo caritatis, hoc eſt propter Deum, ſummamque ejus bonitatem ſuper omnia dilectam, & appellari ſolet Contritio; alterutra requiritur ad remiſſionem peccati; ita tamen ut attritio ſola per ſe ipſam non ſufficiat, ſed opus ſit, ut conjungatur cum Sacramento pœnitentiæ, cujus virtute peccata remittuntur: at Contritio caritate perfecta per ſe hominem Deo reconciliat, permanente tamen obligatione ſubjiciendi clavibus peccata in Sacramento pęnitentiæ, cujus votum includitur in ipſo actu contritionis. Sumuntur hæc ex Trid. ſeſs. 14. cap. 4.

4 Ex his habes diſcrimen inter peccati veniam, quæ peccatori correcto indulgetur a ſolo Deo, & inter veniam, quæ eidem indulgetur etiam ab homine; quod cum Deus ſit perfectiſſimus cordium cognitor remittit etiam peccata propter pęnitentiam pure internam, quæ conſiſtat in contritione perfecta, quamvis poſtea opus ſit, ut diximus, eadem peccata in confeſſione Sacramentali manifeſtare: at quia homo non judicat de internis, ut peccata remittat, opus eſt aliqua pęnitentia exteriori, nempe doloroſa confeſſione.

R E G. V I.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

1 Deſumpta eſt hæc regula ex tit. ff. de Reg. Juris, ubi reg. 144. ſic habet: *Impoſſibilium nulla obligatio eſt*. Caſus formari

poteſt ex c. ult. *de pactis*, ubi Greg. IX. decernit nullius eſſe momenti pactum illud, quod ſit impoſſibilis executionis, quia ad impoſſibile nemo poteſt obligari.

2 Univerſaliſſima eſt iſta regula, & ad omne genus impoſſibilitatis extenditur, quod triplex aſſignatur hic a Gloſ. v. *nemo poteſt*; videlicet impoſſibilitas Juris, impoſſibilitas naturæ, impoſſibilitas facti. Impoſſibilitas Juris ea eſt, per quam aliquid dicitur fieri non poſſe, quia lege prohibetur, puta venditio rei ſpiritualis dicitur impoſſibilis Jure, quia tum a lege naturali, tum etiam a Sacris Canonibus eſt prohibita. Impoſſibilitas facti eſt, quando ad aliquid faciendum vires operantis omnino deficiunt. Impoſſibilitas naturæ vocatur, quando ad aliquid vires penitus deſunt in natura, qua ratione dicitur nobis impoſſibile digito Cęlum tangere, quod eſt exemplum allatum a Gloſ. in l. *ſi ſtipulor* 35. *ff. de verborum obligat. v. non concedit*, & a Juſtin. in Inſtit. *de inutilibus ſtipulationibus* §. *Si impoſſibilis*. Jam vero pro omnibus his impoſſibilium generibus eſt univerſalis regula, non poſſe aliquem ad ea obligari. Ratio quam affert Gloſ. eſt, quia omnis obligatio, vel eſt ad aliquid dandum, vel ad aliquid faciendum, itaut ſi illud non detur, aut non fiat, imputandum ſit ei, qui illud dare, vel facere obligatus, omiſerit: atqui impoſſibile dari, aut fieri nequit, nec ejus negatio imputari poteſt non danti, aut non facienti, cum non ſtet per eum, nec ſit in culpa, ut colligitur etiam ex regul. 41. de regulis Juris in 6. ergo nulla obligatio dari poteſt ad aliquid impoſſibile.

3 Hæc

3 Hæc doctrina in tantum procedit, ut extendatur etiam ad contractus, quos fieri contingat ſub aliqua conditione impoſſibili: ea enim conditionis impoſſibilitas vitiat ipſum contractum, eumque reddit nullum, ut habetur ex l. *impoſſibilis* 7. ff. de Verbor. obligat. & ex l. *non ſolum* 31. ff. de Obligationibus, & Actionibus. Ubi tamen diſtinguendum eſt, utrum conditio ſit impoſſibilis ſolo jure, an ſit impoſſibilis facto, aut natura; rurſus diſtinguendum eſt, utrum conditio ſit de futuro, an de præſenti, vel præterito; conditio enim impoſſibilis facto, aut natura, ſive ſit conditio de præſenti, ſive de præterito, ſive de futuro ſemper irritat contractum: unde v. g. ſi quis alteri promittat gemmam ſub conditione, quod Cœlum digito tetigerit, aut quod nunc tangat, aut quod impoſterum ſit tacturus, contractus eſt nullus, ſive cognoſcatur impoſſibilitas illius conditionis, ſive non cognoſcatur; quia ſi cognoſcitur, ſignum eſt jocoſe, & non ſerio promitti; ſi non cognoſcitur, ſuſpenditur obligatio uſque ad purificationem conditionis, adeoque ubi naturaliter impoſſibile eſt purificari conditionem, ibi dari non poteſt obligatio. At ſi conditio ſit ſolo jure impoſſibilis, utpote de re per legem prohibita; irritat contractum quando eſt de futuro, ut puta ſi aliquis promittat alteri 100. ſub conditione, quod ſit hominem occiſurus: quia ſic aſtringeret, ſeu alliceret alterum ad peccandum; repugnat autem quod quis obligetur ad ſervandum id, per quod alius allicitur ad peccandum: ſecus autem regulariter, quando conditio eſt de præterito, vel de præſenti, quia

tunc ſupponitur jam impleta conditio, adeoque per promiſſionem non allicitur aliquis ad peccandum. Ita Leſs. lib. 2. de Juſtit. cap. 18. dub. 15.

4 Excipitur tamen ab hac doctrina contractus Matrimonii. Nam in cap. fin. *de Conditionibus appoſitis* ſtatuit Greg. IX. conditiones impoſſibiles, & turpes contractui Matrimonii adjectas, exceptis iis, quæ ſunt contra ſubſtantiam conjugii, haberi debere pro non adjectis propter ejus favorem, adeoque non irritare contractum; quod tamen intelligendum eſt, niſi aliunde certo conſtet apponentem illam conditionem impoſſibilem voluiſſe tantum jocari, & non ſerio contrahere. Videatur Sanch. de Matr. lib. 5. diſp. 3.

5 Item excipitur diſpoſitio ultimæ voluntatis, puta teſtamentum, fideicommiſſum, legatum, &c. conditio enim impoſſibilis illis appoſita non irritat eaſdem diſpoſitiones ſed habetur pro non adjecta, ut conſtat ex l. ss. *impoſſibilis* Inſt. *de heredibus inſtituendis*, & ex l. 1. aliiſque pluribus juribus ff. *de Conditionibus inſtitutionum*. Ratio quare ita ſpecialiter ſtatutum fuerit pro ultimis voluntatibus, fundatur in præſumptione, qua creditur Teſtator ultimo vitæ ſuæ tempore noluiſſe facere diſpoſitionem irriſoriam, & nullam; cum homines vix velint decedere inteſtati; nec voluiſſe ſuum heredem, aut legatarium obligare ad aliquid impoſſibile, eo præſertim tempore, quo ſuum ergo illos affectum magis ſignificare voluit, adeoque eo fuiſſe animo, ut ſi conditionem, quam appoſuit, cognoviſſet impoſſibilem, illam non appoſuiſſet. Stante ejuſmodi præſumptio-

ptione, prudenter jura ſtatuerunt conditiones impoſſibiles ultimis diſpoſitionibus appoſitas habendas eſſe pro non appoſitis, quod etiam valde utile fuit ad vitandas lites, quæ pluries orirentur, ſi teſtamenta, fideicommiſſa, & legata irritarentur per appoſitam conditionem impoſſibilem.

R E G. VII.

Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

1 HÆc regula deſumpta eſt ex l. *in omnibus cauſſis* 68. & ex l. *privilegia quædam* 156. ff. *de diverſis regulis Juris*. Caſus poni poteſt ex c. 2. *de auctoritate & uſu pallii*, ubi Cæleſtinus III. interrogatus, utrum Archiepiſcopus poſſit alteri Archiepiſcopo commodare pallium acceptum a Romano Pontifice; reſpondit, non poſſe, quia privilegium Pallii perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona. Idem quoque exemplificari poteſt cum Gloſ. in privilegio perſonali conceſſo Patri, Patrono, & militi, ut condemnentur ſolum in quantum facere poſſunt, ſeu habita ratione ne egeant, ut videre eſt in l. *Sunt, qui in id* 16. cum duabus ſequentibus, juncta Gloſ. ibid. ff. *de re judicata*, quod privilegium non tranſit ad heredes, quia extinguitur cum perſona.

2 Ad intelligentiam regulæ, quæ valde neceſſaria eſt ad cognoſcendum legitimum valorem, & uſum privilegiorum, recolendum eſt id, quod diximus in Inſtitutionibus noſtris parte 3. cap. 9. videlicet nomine privilegii

intelligi ſpecialem conceſſionem alicui privatæ perſonæ, vel communitati, vel loco factam ad aliquid faciendum, vel non faciendum ordinarie, & ſtabiliter contra, vel præter Jus commune, qualis eſt v. gr. conceſſio alicui facta non ſolvendi tributa, celebrandi ante Auroram, &c. Rurſus privilegium aliud eſſe reale, aliud perſonale. Reale eſt, quod alicui rei, vel officio immediate, & directe conceſſum eſt, itaut quicumque rem illam, aut Officium poſſideat tali privilegio potiatur, adeoque privilegium a re, vel Officio redundet in perſonam. Privilegium perſonale dicitur, quod immediate, & directe conceditur perſonæ. Nonnunquam etiam privilegium dicitur perſonale ex parte concedentis, quando ſcilicet facultas illius concedendi eſt immediate, & directe conceſſa particulari perſonæ, non autem muneri vel officio.

3 His præſuppoſitis, ſenſus præſentis regulæ eſt privilegia perſonalia ita eſſe affixa perſonæ determinatæ, ut non tranſeant de una perſona ad aliam perſonam, & extincta perſona, cui ad vitam conceſſa ſint, ipſa etiam extinguantur. Oppoſitum contingit in realibus privilegiis, quæ in perpetuum ſint immediate conceſſa rei, vel officio; ea enim tamdiu durant, quamdiu durat ipſa res, vel officium, adeoque tranſeunt de perſona in perſonam, prout de perſona in perſonam tranſit eadem res, vel officium.

4 Hoc autem adeo ſtricti juris eſt, ut ſi quod perſonale privilegium concedatur alicui, nec ad ejus domeſticos extendi debeat, immo nec ad ejus uxorem, & filios, ut ex pluribus juri-

juribus ſuſe extendit Barboſa in l. *quia tale ff. ſoluto Matrimonio*; niſi tamen ex tenore, verbiſque privilegii deducatur talis extenſio, aut niſi talis eſſet natura privilegii, ut ipſum maxima ex parte maneret inutile non facta aliqua ejuſmodi extenſione, ut docet Gloſ. in c. penult. *de privilegiis in 6.* v. *admittuntur*, & v. *non debent*, ubi affert exemplum privilegii perſonalis, quod alicui conceſſum ſit morandi in aliquo fundo, quod privilegium extendi debet etiam ad ſuos, quia ceteroquin eſſet inutile, cum ſine ſuis habitare non poſſit. Videri poteſt Suar. de leg. lib. 8. cap. 2.

5 Quod autem dicitur privilegium perſonale extingui cum perſona, intelligendum eſt, niſi fuerit antecedenter extinctum. Quamvis enim, ex dictis, univerſalis regula ſit, univerſale privilegium non tranſire ad heredem, aut ſucceſſorem privilegiati; non eſt tamen univerſalis regula, tamdiu ſemper durare, quamdiu durat vita privilegiati: multipliciter enim ceſſare poteſt privilegium, etiam illo ſuperſtite, cui conceſſum eſt; ut puta ſi privilegium conceſſum ſit ſolum ad aliquod limitatum tempus; aut ſi privilegiatus peccet per privilegii abuſum, ex quo, vel ipſo jure, vel per ſententiam Judicis ſequatur amiſſio privilegii; aut demum ſit oneroſum tertio, & privilegiatus ſuo privilegio non utatur etiam cum ſe offert occaſio utendi, longo tempore, quantum ſufficit, ut ille tertius præſcribat contra privilegiatum: in his enim caſibus privilegium ceſſat, etiam vivente privilegiato, ut fuſius expoſuimus in citato cap. nono, ultimæ partis Inſtitutionum noſtrarum.

6 Quod dictum eſt de privilegio perſonali in ordine ad perſonam, intelligendum proportionaliter eſt de privilegio reali in ordine ad rem, adeoque ſicut perſonale, extincta perſona, etiam ipſum extinguitur, ut expoſuimus, ita pariter privilegium reale, extincta re. Excipitur tamen ab hac regula caſus, in quo aliqua res puta Eccleſia, aut Civitas deſtructa ſit ab hoſtibus: tunc enim conſervantur omnia ejus privilegia, unde, & remanent ejuſdem Eccleſiæ Clerici, ut docet Gloſ. ad hanc regulam. Ex c. *Paſtoralis* 43. 7. qu. 1.

7 Dices contra regulam: datur multiplex perſonale privilegium, quod non extinguitur cum perſona, ſed tranſit ad ejus heredem, aut ſucceſſorem: ergo falſum eſt generaliter privilegium perſonale perſonam ſequi, & extingui cum perſona. Ant. probatur: quia Minoribus, hoc eſt iis, qui nondum 25. ætatis annum impleverunt, competit hoc perſonale privilegium, ut ſi per aliquem contractum graviter læſi fuerint, debeant acta reſcindi, & omnia in integrum reſtitui, ut conſtat ex toto Decretal. & Digeſtorum tit. *De in integrum reſtitutione*; & tamen ejuſmodi beneficium tranſit etiam ad Minoris hæredem, ut habetur in l. *Non ſolum 6.* ff. *de in integrum reſtitutionibus*. Item mulieribus competit perſonale beneficium Senatus conſulti Vellejani, quo ipſis ſubvenitur, ut ſerventur indemnes, ſi ex quadam animi levitate ſe obligaverint fidejubendo pro aliis, ut explicatur in toto titulo ff. & Cod. *Ad Senatus conſultum Vellejanum*. Demum plurimum perſonarum communitati, puta alicui Religioni con-

conceditur aliquod perſonale privilegium, quod propagatur ad illos ſingulos, qui ſucceſſive fiunt partes ejuſdem communitatis, adeoque tranſit a perſona in perſonam: ergo &c.

8 Reſpondetur nihil horum, quæ proponuntur eſſe contrarium pręſenti regulę: quia regula tantum loquitur de iis perſonalibus privilegiis, quæ ita conceduntur perſonæ, ut ipſa perſona ſit cauſſa, propter quam concedantur, non autem aliqua ejuſdem læſio; ubi enim principalis cauſſa conceſſionis ſit ad tollendam aliquam lęſionem injuſtam, quam perſona paſſa eſt, tunc beneficium conceſſionis tranſit etiam ad heredem, quia, in quo defunctus graviter læſus eſt in rebus ſuis, reſtitui ſaltem debet in perſona heredis. Hinc patet ad ea, quę in contrarium objecta ſunt. Beneficium reſtitutionis in integrum, quod Minoribus conceditur, eſt beneficium conceſſum intuitu læſionis, juxta text. in l. *quod ſi Minor* 24. §. *Non ſemper eſt*, & l. *Non omnia* 44. ff. *de Minoribus*. Idem dic de Vellejano pro Mulieribus in damnum ſuum fidejubentibus pro alio; & propterea utrumque ex ſtatuto juris tranſmittitur ad heredem.

9 Ad id, quod ultimo loco opponebatur de privilegiis alicui communitati conceſſis in perpetuum, reſpondetur eadem privilegia concedi directe, & immediate non huic, vel illi particulari perſonæ, quæ eſt in illa communitate, ſed ipſi communitati in genere, quæ eſt quædam perſona ficta, quamvis ab ea mediate redundent in particulares perſonas ejuſdem communitatis: illa autem perſona ficta, ſeu communitas non deficit, etiamſi varientur particulares perſonæ; ac proinde eadem privilegia

ſem-

ſemper perſeverant in eadem perſona, cui directe, & immediate conceſſa ſunt, & tamdiu perſeverant, quamdiu perſeverat illa perſona ficta, ſeu illa communitas, quod ſatis eſt ad præſentem regulam. Contra regulam eſset, ſi privilegia communitati conceſſa transfunderentur ad aliam communitatem. Sed hoc non accidit, niſi ex ſpeciali conceſſione Principis, ut de facto videre eſt in quibuſdam Religionibus, quæ privilegium habent a Summo Pontifice participandi privilegia, quæ aliis Religionibus concedantur.

R E G. V I I I.

Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.

1 Deſumitur hæc regula ex c. *ſcriptam 9. de Præſumptionibus*, & ex cap. *Parvuli* 14. 22. 5. cum aliis hic citatis a Gloſs. ex quibus caſus formari poteſt in eo, qui productus in teſtem cum juramento de veritate dicenda, mendaciter tamen teſtatus eſt: hic enim in alio judicio produci amplius in teſtem non poteſt, ſi ejus teſtimonium ceſſurum eſſet in proprium commodum, quia præſumitur perjurium commiſsurus: ſemel enim malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

2 Hæc regula inſervit tantum pro foro externo, & quia nititur vi præſumptionis, quæ ſæpe fallit, ideo non eſt temere etiam pro foro externo in quolibet caſu adhibenda. Ut hoc clarius pateat, prælibandum breviter aliquid hic eſt de præſumptionibus.

3 Nomine preſumptionis hic intelligitur conjectu-

jectura rationabilis ex aliquo ſigno proveniens ad fidem faciendam rei quam pro veritate facit haberi, donec de contrario non conſtet. Dicitur *conjectura rationabilis*, unde excluditur a concepta veræ præſumptionis ſuſpicio, vel judicium temerarium nullis, vel inſufficientibus indiciis fundatum, quod propterea nihil probat, & a Jure reſpuitur, ut deſumitur ex c. *Inquiſitioni* 44. de ſent. Excomm. Dicitur rei dubiæ, quia præſumptio ſemper verſatur circa rem incertam, in eoque differt a fictione Juris, quæ eſt certę falſitatis pro veritate aſſumptio inducta per legem ex cauſſa aliqua juſta, ut cum jus fingit Religioſum eſſe mortuum, quamvis vivat, aut heredem immediatum eſſe eamdem perſonam cum defuncto, cujus eſt heres, & ſic de pluribus aliis.

4 Cum autem indicia, ex quibus præſumptio naſcitur, varia ſint, & inæquali probabilitate faciant conjecturam rei; ideo multiplex aſſignari ſolet præſumptionum ſpecies. Alia enim eſt præſumptio vehemens, ſeu violenta, alia non vehemens, ſed tantum probabilis. Prior eſt, quæ talibus indiciis nititur, ut dubio moraliter non relinquat locum, cujus exemplum eſt in c. 2. *De præſumptionibus* petitum ex celebri judicio Salomonis de duabus mulieribus. Præſumptio non vehemens, ſed tantum probabilis eſt, quæ non ita urgentibus indiciis nititur, talibus tamen, ut probabiliter arguat rem præſumptam, eademque poteſt eſſe major, aut minor, prout magis, vel minus probabiliter indicia faciunt conjecturam.

5 Aliter etiam præſumptio dividitur in præſumptionem hominis, & in præſumptionem Juris.

ris. Præſumptio hominis eſt, quæ formatur in mente hominis ex aliquibus indiciis, & argumentis, & non eſt expreſſa in Jure; quæ autem eſt expreſſa in Jure ea dicitur præſumptio Juris, qualis eſt v. g. ea, qua præſumitur eſſe reum, qui dilationibus judicium ſubterfugit, quia eſt expreſſa in c. *Nullus* 4. de Præſumptionibus.

6 Demum præſumptio Juris ſubdividitur in præſumptionem Juris tantum, & in præſumptionem Juris, & de Jure. Præſumptio Juris tantum eſt, quæ expreſſa in Jure, ſed nihil ſuper eam ſtatutum eſt, quod pro lege habeatur, unde facile auferri poteſt per probationem in contrarium; at præſumptio Juris & de Jure eſt, quando non ſolum continetur in Jure, ſed etiam ſuper ipſa jus aliquod firmum ſtatutum eſt, unde probationem in contrarium non admittit, niſi petitam ex manifeſtiſſimis rationibus, de quibus videri poteſt Panor. in cap. *is, qui fidem* 30. *de Sponſalibus*, n. 5. Exemplum hujus eſt, quod diximus ad initium hujus regulæ, videlicet de eo, qui alias in judicio fuerit teſtis perjurius, unde præſumitur impoſterum commiſſurus perjurium, ſuper qua præſumptione ſtatutum eſt Jus, ut amplius in teſtem produci non poſſit. Item aliud exemplum habes in iis, quæ ſupra diximus ad regulam 6. de faciente teſtamentum ſub aliqua conditione impoſſibili, qui præſumitur eadem conditionem non fuiſse poſiturus, ſi cognoviſſet eſſe impoſſibilem, quia ſuum teſtamentum valere voluit, ſuper qua præſumptione ſtatutum eſt Jus, ut conditio impoſſibilis teſtamentis appoſita haberetur pro non adjecta.

7 His

7 His præſuppoſitis intentum pręſentis regulæ eſt, ex anteacta vita, & moribus fieri in foro externo conjecturam, & præſumptionem de futuro, & de præſenti: unde ſi quis malus fuit in aliquo genere mali, præſumitur in foro externo etiam nunc malus in illo eodem genere; quemadmodum e contrario ſi quis bonus fuit in aliquo genere, præſumitur etiam nunc in eodem genere bonus. Ratio hujus eſt: quia pro foro externo, niſi mutatio ſuperveniſſe probetur, idem ſtatus manere putatur; mutatio enim eſt quid facti; ea autem, quę ſunt facti non præſumuntur, ſed probari debent coram Judice. Ex hac ratione decernitur in c. *Litteras 13. de reſtitutione Spoliatorum*, ut ſi Maritus antea ſolitus fuit in Uxorem ſęvire, & propterea Uxor ſe ab eo ſeparaverit, non ſit Uxor ei reſtituenda, quia ex præterita ſævitia conjectura fit de futura. Item ex eadem ratione in Jure civili, qui olim poſſedit, etiam nunc poſſidere præſumitur, donec contrarium non probetur.

8 Ejuſmodi tamen præſumptio, non eſt pręſumptio Juris, & de Jure, quia contra illam admitti facile debet probatio in contrarium, petita vel ex temporis curſu, ex quo neceſſario, aut veriſimiliter ſtatus eſt immutatus, aut ex aliis indiciis, ex quibus probabiliter argui poteſt facta mutatio; ubi præſertim agitur de præſumptione ad malum. Videri poteſt Felin. in c. *Scribam 9.* de Præſumpt. Unde colligi poſſunt exceptiones ad hanc regulam, quę tota, ut diximus, eſt pro foro externo, & in ordine ad probationes judiciales, non autem pro foro conſcientiæ.

REG.

REG. IX.

Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

1 DEſumitur ex c. pen. de ſent. excom. in 6. ex quo formatur caſus. Gaudus v. g. Clericum inimicum tuum fuiſſe graviter, & injurioſe vulneratum a Titio & quantum in te eſt laudas, & approbas eamdem vulnerationem, quæ tamen non fuit facta nomine tuo: in tali caſu ſi nihil aliud afferas præter approbationem, quamvis pecces graviter, non tamen incurris ſimul cum Titio excommunicationem Canonis, quæ lata ſit contra committentes, & ratam habentes verberationem Clerici, quia in tali caſu non diceris proprie ratam habere verberationem illam, eo quod ratum habere non poſſis quod tuo nomine non eſt geſtum. Item occidit Titius hominem, vel aliud quodcumque delictum commiſit, aut contractum celebravit nomine ſuo; ſi tu poſtea id approbes, quamvis pecces, non tamen teneris ad reſtitutionem, quia ratum habere non potes, quod geſtum non eſt nomine tuo.

2 Pro clariori intelligentia regulæ, ſupponendum eſt cum Doctoribus triplicem potiſſimum in Jure reperiri fictionis ſpeciem, quarum una dicitur inductiva, alia privativa, alia translativa, ut videre eſt apud Bartol. in l. *ſi is, qui pro Emptore*, ff. *de Uſucapionibus* citatum a Barboſa in explicatione hujus regulę num. 2. Fictio inductiva eſt, quando lex fingit eſſe, quod non eſt, ut cum fingit defunctum vivere in

ſuo

ſuo herede. Fictio privativa, quando lex fingit non eſse quod eſt, ut cum fingit Religioſum eſſe mortuum, aut cum ſervum reputat tamquam nullum, &c. Fictio demum translativa eſt, quando actum poſitum aliquo tempore, ſub aliqua forma, fingit lex fuiſse poſitum ſub alia forma, aut diverſo tempore; & ſic quodammodo transfert ab uno tempore ad aliud, aut ab una forma ad aliam, ut v. gr. ſi aliquis nomine tuo aliquid operetur, & tu poſtea id cognoſcens approbas, & ratum habes; lex fingit te ab initio dediſse mandatum de illo opere faciendo, ſeu illud opus fuiſſe factum ex mandato tuo, ut explicabitur etiam in ſeq. reg. adeoque transfert quodammodo tuam approbationem, & ratihabitionem ab eo tempore, quo illam habes ad tempus antecedens, in quo opus illud nomine tuo poſitum fuit, eumdemque quaſi conjungit cum illo opere, & ſic reputat illud opus, tamquam factum ex mandato tuo.

3 Senſus igitur præſentis regulæ eſt, fictionem iſtam translativam tuæ ratihabitionis ad tempus antecedens, in quo poſitum fuit opus, ut propterea idem opus cenſeatur tamquam poſitum a te, ſeu ex mandato tuo, ejuſmodi, inquam, fictionem non habere locum, quando approbas quidem opus factum ab alio, ſed tale opus non fuit ab eo factum nomine tuo. Ratio hujus eſt: quia quamvis opus ab alio factum nomine tuo habeat aliquam effigiem actus tui, ſiquidem actus tuus eſſe videtur non ſolum, quem facis per te ipſum, verum etiam, quem facis per alium juxta reg. 72. hujus tituli, in qua dicitur: *qui facit per alium eſt perinde ac ſi*

faciat

faciat per ſeipſum; attamen actus ab alio factus non nomine tuo, nihil tale habet, ut cenſeri poſſit actus tuus: fictio autem legalis, de qua loquimur, non procedit, ubi actu non datur capacitas aliqua, ſeu habilitas, ut mediante tua ratihabitione evadat, per fictionem actus tuus; alioquin fictio eſſet ſuper impoſſibili de ſe, ſuper quo lex fictionem non admittit; ut notat Panor. in cap. 1. de converſione Infidelium, ubi ponit exemplum. Si quis hominem occidat nomine infantis, & poſtea idem infans factus major ratam habeat eamdem occiſionem, non propterea lex fingit occiſionem factam fuiſse ab Infante, ſeu de mandato Infantis; quia ſcilicet impoſſibile erat, illum infantem tunc temporis mandare delictum, & non debet plus poſse fictio, quam veritas. Item aliud exemplum ponit. Intra certum temporis terminum debebas aliquid agere: amicus tuus, vel procurator illud egit nomine tuo; tu autem poſt elapſum temporis terminum illud ratum habes. Iſta tua ratihabitio non ſufficit, ut propterea illud opus poſitum ab Amico, vel Procuratore tuo, per fictionem Juris cenſeatur tamquam poſitum a te, ſeu ex mandato tuo, quia ſcilicet quando ratum habes, lapſus eſt terminus temporis, intra quod agere poteras, adeoque tempore tuæ approbationis, ſicut non potes vere illud agere, ita nec per fictionem Juris; pro qua re facit etiam textus expreſſus in l. *bonorum* 24. ff. *Rem ratam haberi*.

4 Hinc habes ampliationem regulæ, ita ut ſcilicet non ſolum non poſſit mediante tua approbatione per fictionem Juris reddere opus tuum, quod ab alio geſtum eſt, ſi non ſit ge-

ſtum nomine tuo, ſed neque ſi geſtum ſit nomine tuo, quando tu, vel eo tempore, quo opus fuit realiter ab alio poſitum, inhabilis fueris ad idem opus realiter faciendum, vel inhabilis ſis ad idem opus realiter faciendum, cum illud approbas, quia pro utroque tempore requiritur habilitas ex parte ratihabentis. Et ita etiam deſumitur ex Gloſs. in cap. *quam ſit* 6. Elect. in 6. v. *petere*.

5 Contra regulam hic explicatam objici poteſt. Si contingat contractum aliquem a Servo, vel Filio celebrari, eumdemque ratum habeat Pater, vel Dominus, hic obligatur ex contractu, ex l. *Si res* §. penult. ff. *de in rem verſo*, ex l. 1. §. *Si ratum*, *ff. quod juſſu*: Ergo poteſt quis habere, ratum, quod ejus nomine non eſt geſtum. Item juxta textum expreſſum in l. *ſi fundus* 16. §. *ſi neſciente*, *ff. de pignoribus*, ſi neſciente Domino res ejus hypothecæ data ſit, deinde poſtea Dominus ratum habuerit, eo ipſo Dominus obligatur ex eodem contractu: ergo &c.

6 Reſpondetur iſta non obſtare præſenti regulæ. Contractus celebratus a Servo, vel Filio cenſetur contractus celebratus nomine Domini, aut Patris, quia Filius per fictionem Juris eſt idem ac Pater, & etiam Servus cenſetur operari Domino ſuo. Addo quod etiamſi, neque Servus, neque Filius in aliquo caſu cenſerentur operari nomine Domini aut Patris, adhuc tamen ſine præjudicio hujus regulæ, poſſet Dominus, & Pater approbando contractum obligari. Ratio eſt; quia intentum hujus regulæ non eſt, ut approbando factum ab alio poſitum non nomine tuo, nullum ex tali tua approbatione detrimentum pati poſſis;

ſed

ſed intentum tantummodo eſt, ut in tali caſu factum approbando non reddas illud opus tuum, itaut dicaris, v. gr. contractum celebraſse, aut crimen commiſiſſe, quod approbas. Non obſtante igitur, quod opus fuerit ab alio poſitum non nomine tuo, ſi illud approbas, potes exinde aliquod prejudicium pati in juribus tuis; ut puta ſi quis vendat rem tuam non nomine tuo, ſed nomine ſuo, potes tu illam venditionem approbare, ſeu ratam habere, quoad tui præjudicium, itaut ſcilicet rei dominium amittas, quamvis non poſſis illam ratam habere in ordine ad hunc effectum, ut illa venditio cenſeatur tamquam facta a te ipſo, tibique competat omne jus, quod ceteroquin competit venditori: quæ doctrina etiam deſumitur ex Gloſs. ad hanc regulam. Idem dic ad alium caſum in objectione propoſitum; videlicet rem hypothecari, ſeu alienari poſſe neſciente Domino, dupliciter; primo ita, ut illa hypothecatio, ſeu alienatio facta fuerit nomine Domini; ſecundo ita ut facta fuerit nomine non Domini, ſed alterius. In primo caſu ſi accedat ratihabitio Domini; locum habet fictio Juris, per quam illa alienatio cenſetur facta ab ipſo Domino, ſeu cum ejus mandato; in altero caſu locum non habet ejuſmodi fictio Juris, ſed per tuam approbationem Dominus ſibi tantummodo prejudicat quoad dominium, vel uſum rei hypothecatæ, vel alienatæ: & ſic facile conciliantur Jura abſque ulla contrarietate ad præſentem regulam.

REG.

REG. X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

1 HÆc regula deſumitur ex l. *Semper qui* 60. ff. de diverſis regulis Juris, ex c. *Cum quis* 23. de ſentent. excom. in 6. aliiſque Juribus, unde caſus figurari poteſt. Quidam Clericus gravem injuriam tibi intulit. Titius amicus tuus id cognoſcens, volens tibi gratificari, abſque tuo mandato eumdem Clericum graviter verberavit nomine tuo: id tu audiens, complacuiſti; & ratum habuiſti. Quæritur numquid ſis excommunicatus, perinde ac ſi mandaſſes illum Clericum graviter verberari? Reſpondetur affirmative: quia ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur. Item formari poteſt caſus ex l. *licet* 56. *ff. de judiciis*. Titius cum non eſſet tuus procurator, litem tamen tuo nomine introduxit, & incepit coram Judice. In tali caſu non eſt dubium omnia geſta per ejuſmodi falſum procuratorem non valere. Sed ſupponamus te approbare geſta per ipſum: numquid valet proceſſus, & omnia ejus geſta, perinde ac ſi Procurator ille proceſſerit ex mandato tuo? Reſpondetur affirmative: quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.

2 Senſus hujus regulę facile colligitur ex iis, quę diximus in regula precedenti, ubi explicatum fuit, quid ſit fictio translativa: ea enim eſt, quæ per hanc regulam inducitur pro caſu, in quo quis ratum habet, quod ſuo nomine ge-

ſtum

ſtum eſt, quia tunc per fictionem Juris illa ratihabitio, quaſi transfertur ad illud tempus, in quo geſtum eſt opus, ac proinde idem opus cenſetur tamquam poſitum ex mandato ratihabentis, & propterea ita ratum habens tenetur ad omnia ea, ad quæ tenetur mandans, quod maxime verum eſt in contractibus, & delictis.

3 Ad ejuſmodi tamen effectum habendum opus eſt, ut interveniant omnes illæ conditiones, quas indicavimus in reg. præced. ſcilicet, ut opus poſitum fuerit nomine ejus, qui poſtea ratum habet; item ut idem ratum habens fuerit ceteroquin capax, & habilis exequendi per ſe, aut ſaltem mandandi opus illud, quando poſitum fuit, & ut ratihabitio fiat eo tempore, quo opus ratihabitum poſſet ſecundum ſe fieri, aut mandari a ratihabente, niſi antea factum eſſet, quia pro utroque tempore requiritur habilitas. Requiritur præterea, ut tempore ratihabitionis nihil ſit, quod impediat retrotractionem, ſeu fictitiam translationem ratihabitionis; unde oportet rem eſſe integram, hoc eſt in eo ſtatu omnia eſſe, quo fuerunt, quando opus poſitum fuit; ac propterea ſi contingat intermedio tempore fuiſſe acquiſitum aliquod jus ab aliquo tertio, cui præjudicium fieret, ſi ratihabitio haberetur pro mandato; tunc illa ratihabitio prędictum effectum non habet, ut probat textus in c. *Si pro te* 13. *de reſcriptis* in 6. ubi dicitur, quod ſi quis impetraverit beneficium a Summo Pontifice cum clauſula *ſi conſentiet Epiſcopus*; interim autem antequam Epiſcopus præſtet aſſenſum, alius pure, & ſimpliciter idem beneficium impetret; tunc

tunc conſenſus Epiſcopi ſuperveniens nihil facit ad favorem primi, ſed præferri debet ſecundus ad aſſecutionem beneficii: & quia ſcilicet in tali caſu conſenſu Epiſcopi non retrotrahitur ad tempus conceſſionis beneficii, eo quod per ejus retrotractionem fieret præjudicium tertio, nempe illi alteri, qui poſtea idem beneficium pure, & ſimpliciter impetravit. Videri poteſt Tiraq. in tract. de retractu gentilitio §. 1. Gloſs. 10. num. 64. & ſeqq. ubi plura in hanc rem congerit.

4 Sed & excipi debet a regula caſus, in quo mandatum ab initio requiratur, tamquam forma actus, aut per vim auctoritatis; in ejuſmodi enim caſibus ratihabitio non ſufficit, nec habet effectum retrotractionis. Exemplum habes in §. *Tutor* Inſtitut. *de auctoritate Tutorum*, ubi dicitur non valere contractum celebratum a Minore, niſi Tutor, vel Curator ibi ſit præſens, quamvis poſtea conſentiat.

5 Item excipitur caſus, in quo ſpecifice ſpectatur initium, ut notat Gloſs. ad hanc regulam *v. ratihabitionem*, cujus exceptionis exemplum habes in *c. auditis* 29. de elect. ubi dicitur electionem non valere factam a minore parte capituli, nec per ſubſequentem conſenſum poſſe ratificari; quia ſcilicet pro validitate electionis ſpectatur ſpecifice ejuſdem initium, hoc eſt quando Electores collegialiter dant ſuffragia. Sed de hoc etiam infra recurret ſermo in explicat. reg. 18.

6 Quæri poteſt utrum in caſibus, in quibus ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, non ſolum retrotrahatur ad tempus, in quo opus poſitum fuit, ſed etiam retrotrahatur

ad locum, ita ut is, qui ratum habet actum ſuo nomine alicubi geſtum, mediante hac ſua ratihabitione cenſeatur per fictionem juris geſſiſſe, aut mandaſſe eumdem actum in eodem loco, in quo ipſe actus poſitus fuit.

7 Reſp. affirmative, ut deſumitur ex *l. Cum decem* 71. §. 2. ff. *de ſolutionibus* in iis verbis, *quaſi tum præſenti*. Inde fit quod qui ratum habet contractum, vel delictum, alicubi ſuo nomine geſtum, regulariter pro eodem contractu, vel delicto ſortiatur forum in loco actus geſti, non autem in loco ratihabitionis, ut deſumitur ex cap. ult. de foro competente; ideoque propter delictum v. gr. ſuo nomine geſtum, & poſtea ratihabitum puniendus erit in loco, in quo delictum patratum fuit, non autem in loco, in quo ratihabetur, ſuppoſito quod ſint loca diverſa.

8 Quæſtio etiam eſt, utrum a ratihabente homicidium ſuo nomine geſtum, etiam irregularitas contrahatur, ſicut contrahitur ab eo, qui realiter mandat fieri homicidium. Reſpondetur de hac re eſſe controverſiam inter Auctores. Sententiam negativam tradit Suar. de cenſur. diſp. 44. ſect. 3. n. 24. Covar. in Clem. *Si furioſus* p. 2. §. 1. n. 5. Barboſ. in explicatione hujus regulæ in fine, aliique ab ipſis citati. At in contrarium Felin. Navar. quos citat, & ſequitur Molin. de Juſt. tr. 3. diſp. 4. nu. 3. & ſeqq. aſſerunt in prædicto caſu irregularitatem incurri, quæ ſententia videtur probabilior. Vide Molin. in l. c. & Panor. in cap. *De multa* 28. de pr. n. 18. ubi tradit hoc principium, quod ubi duo ſunt a Jure equiparata, pœna adjecta in uno videtur adjecta in alio.

REG.

REG. XI.

Cum ſunt partium Jura obſcura, Reo favendum eſt potius, quam Actori.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. *favorabiliores* 167. ff. *de diverſis regulis Juris*, & ex §. *retinendæ* Inſtit. *de Interdictis*, & cap. *Ex litteris* 3. *de Probationibus*, aliiſque Juribus, ex quibus caſus ita formari poteſt. Tu Actor, & Petrus Reus litem habentes coram Judice competente, propoſuiſtis facta contraria, ad quorum probationem ambo produxiſtis duos teſtes dignitate, & quoad omnia reliqua pares, quorum depoſitio eſt æque veriſimilis. Quæritur, quorum teſtium teſtimonio ſtare debeat Judex, & ad cujus favorem ferre ſententiam? Reſpondetur ſententiam ferendam eſſe in favorem Rei, eumdemque eſſe liberandum a petitione Actoris, quia quando Jura partium ſunt obſcura, ut accidit in præſenti caſu, Reo favendum eſt, potius quam Actori.

2 Ad intelligentiam regulæ, quæ tota eſt pro foro externo judiciali, notandum eſt ex l. *In tribus* 13. ff. *de Judiciis* nomine Actoris in Judicio intelligi perſonam illam, quæ prior ad judicium provocat, & civilem actionem proponit; Nomine autem Rei venire perſonam, quæ ad Judicium ab Actore provocatur, Reuſque denominatur non a reatu, cum ſæpe contingat ipſum nullius criminis conſcium eſſe, ſed a re, pro qua ad Judicium coram Judice provocatur, ut expreſſe

declaratur in cap. *forus* 10. *de Verborum ſignificatione*.

3 Senſus igitur præſentis regulæ eſt, quod quando in judicio cauſſa eſt utrinque diſcuſſa, ſuaſque omnes probationes propoſuerunt Actor, & Reus, ſed his non obſtantibus, adhuc utrimque æque dubium eſt, pro qua parte ſtet Jus; pro tali caſu in ferenda ſententia favendum eſt potius Reo, quam Actori. Ratio regulæ eſt: tum quia conditio Rei miſerabilior eſt, cum præſumatur non ita inſtructus, & præparatus acceſſiſſe ad Judicium; tum etiam propter cauſſam abſolutionis, quæ favorabilior eſt, & etiam in re dubia ſecurior, ut ſumitur ex l. *Abſentem* 5. ff. de pœnis. Huc etiam facit illud celebre dictum Juriſtarum: *Actore non probante, Reus abſolvitur*, deſumptum ex *l. qui accuſare* 4. *C. de edendo*. Non cenſetur enim Actor pro ſe ſatis probare, quamdiu ejus probatio non prævaleat probationi, quam Reus pro ſe adducit.

4 Quæri poteſt, utrum hæc regula locum tantummodo habeat in fine Judicii, quando fertur ſententia definitiva; an etiam in toto proceſſu litis, ita ut ſemper cauſſa rei ſit favorabilior, quotieſcumque Jura partium ſint obſcura?

5 Reſpondetur cum Barboſa probabilius videri, procedere regulam in toto progreſſu judiciali, quia ſemper militat eadem ratio æquitatis, adeoque ſive in principio judicii, ſive medio, ſive in fine favendum eſt Reo potius, quam Actori, quando eorum jura de aliquo, quod controvertitur, ſint obſcura. Gloſſa tamen in explicatione hujus regulæ v. *Actori* tenet

net

net contrarium, & fundatur in l. *Si quis intentione* 66. ff. *de Judiciis*, ubi dicitur, quod intentio, ſeu oratio ambigua ab aliquo propoſita coram Judice explicanda ſit in ſenſu, qui favorabilior ſit proferenti; ex quo textu infert Gloſſa, in principio litis favendum eſſe potius Actori, quam Reo. Cenſeo tamen illam illationem non valere: Nam in textu illius regulæ, *Si quis intentione* non diſtinguitur inter Actorem, & Reum, ſed dicitur generaliter, quod intentio, ſeu oratio ambigua litigantium interpretanda ſit in partem favorabiliorem proponenti, & propterea ſtatutum ejuſdem legis æque militat pro Reo, quando ſuam exceptionem opponit, ac militet pro Actore proponente ſuam intentionem, quia unuſquiſque præſumitur ea proponere, vel opponere, quæ ſibi ſunt utiliora, quantum patitur ſenſus verborum. Ubi tamen obiter adverte hoc eſſe intelligendum quoad ambiguitatem illius locutionis, per quam ab Actore circa ingreſſum litis proponitur ſua petitio, & a Reo opponitur exceptio ad repellendam petitionem; ceterum ſi contingat, vel Actorem pro ſua petitione, vel Reum pro ſua exceptione probationes ambiguas afferre, eſt doctrina recepta ejuſmodi probationes ambiguas interpretandas eſſe contra proferentem, ſeu in ſenſu minus favorabili proferenti, ut notat Gloſs. ad hanc regulam in fine.

6 Dices: ſi Actor, & Reus ſunt pares in hoc, quod circa ingreſſum judicii eorum locutio ambigua interpretanda ſit in ſenſum favorabiliorem proferenti, & in progreſſu judicii probatio ambigua in ſenſum minus favorabilem; ſequitur quod ſaltem in hoc non faveatur

potius Reo, quam Actori, & conſequenter falſum ſit, quod in toto progreſſu judiciali faveatur potius Reo, quam Actori, quod diximus eſſe intentum regulæ.

7 Reſpondetur ex ſupradictis, intentum regulæ, non eſſe, ut ſemper, & in omnibus circumſtantiis, & quoad omnia faveatur magis Reo, quam Actori, ſed ſolum ad ea, ad quæ uterque litigans prætendit, & probat ſe habere jus, ut patet ex illis regulæ particulis: *cum ſint partium jura obſcura*: unde in iis ſi Actor non magis probat, abſolvitur Reus. Hujus autem generis non ſunt ea, ex quibus objectio deſumptam eſt; quia neuter litigans prætendere poſſit, & probare, ſe habere jus, ut Adverſarius cauſſam propriam, aut probationem proponat potius uno modo, quam alio; ſed id pendet a libertate cujuslibet. Quod igitur ſint pares in hoc, quod eorum locutio ambigua ſit, vel contra ipſos, vel in ſenſu favorabiliori accipienda, non præjudicat præſenti regulæ.

8 Quæri demum poteſt, utrum ſtatutum hujus regulæ extendatur ad omnes omnino cauſſas, ita ut quotieſcumque in qualibet cauſſa jura partium ſunt obſcura, favendum ſit potius Reo, quam Actori? Reſp. negative. Non enim habet hęc regula locum, quando Actor tuetur cauſſam aliquam jure favorabilem, cujus favor, ceteris paribus, præponderat, unde tunc ſententia pro Actore fertur. Hujus generis cauſſas 4 enumerat Gloſs. nempe cauſſam Matrimonii, libertatis, teſtamenti, & dotis, pro quibus adducit plures textus. Tiraq. hic citatus a Barboſa id extendit etiam ad quamcumque cauſſam piam.

REG.

R E G. X I I.

In judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda.

1 DEſumitur hæc reg. ex cap. *Novit.* 13. v. *Ceterum de Judiciis* cum alii hic citatis a Gloſs. v. *in Judiciis*. Caſus formari poteſt eodem c. *Novit.* Convenitur coram Judice aliquis conſtitutus in dignitate aut Officio, amicus, vel inimicus ipſius Judicis. Quæritur utrum favore perſonæ, vel dignitatis, aut amicitiæ, aut inimicitiæ moveri poſſit ad ferendam ſententiam aliter quam præſcribat juſtitia, aut aliter quam ferret contra aliam perſonam, quę non eſſet ejuſdem dignitatis, aut amicitiæ? Reſpondetur negative: quia in Judiciis non eſt habenda acceptio perſonarum, & Judex judicare debet magnum, ut parvum.

2 Ad intelligentiam regulæ notandum primo eſt, acceptionem perſonarum eſſe cum aliquid alicui adjudicatur, ſeu attribuitur non propter aliquod meritum, aut qualitatem perſonę, quę faciat ipſam dignam, ſicut ceteroquin adjudicari, ſeu attribui deberet, ſed propter aliquam aliam qualitatem nihil facientem ad meritum, aut dignitatem: ut puta ſi quis promoveret aliquem ad Prælationem, vel Magiſterium, quia eſt dives, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſſet acceptio perſonæ, quia divitiæ, & conſanguinitas non ſunt cauſſæ, ſeu qualitates, quæ faciant aliquem dignum, ut ei conferatur Magiſterium, vel Prælatio Eccleſiaſtica, quod eſt exemplum allatum a S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1.

3 Notandum eſt ſecundo nomen judiciorum, in quibus ſpecialiter perſonarum acceptio prohibetur, ſumi debere non ſolum pro illo actu judiciali, quod exercetur a Judice inter Actorem, & Reum, ſed univerſalius pro omni actu, quo juxta leges juſtitiæ adjudicandum, ſeu attribendum aliquid ſit alicui, attento ejuſdem Jure, vel merito, vel dignitate. Inde eſt, quod hæc regula locum etiam habeat in actibus ſpectantibus ad juſtitiam diſtributivam, puta in diſtributionibus rerum, vel munerum, pro quibus attendi debeat Jus, vel meritum perſonarum; & multo magis in diſpenſatione ſpiritualium, in qua gravius peccatum eſt acceptio perſonarum, cum ſpiritualia ſint temporalibus potiora. Videri poteſt S. Thom. in cit. q. 63. Secus accidit in aliis rerum diſtributionibus, quas quis non ex debito, & per juſtitiam diſtributivam, ſed ex mera gratia, & liberalitate facit, quia in iis ceſſat acceptio perſonarum, cum poſſit quis abſque injuſtitia dare de ſuo quantum vult, & cui vult, ſecundum illud Matthæi 20. *An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum eſt, & vade*. Ita D. Th. eadem q. 63. art. 1. ad 3.

R E G. X I I I.

Ignorantia facti, non Juris, excuſat.

1 SUmpta eſt hæc regula ex l. *Regula eſt* 9. aliiſque pluribus juribus ff. *de Juris, & Facti ignorantia*: item ex pluribus juribus C. eod. tit. & ex pluribus textibus Canonicis. Caſum format Gloſsa deſumptum ex cap. *Si beneficia* 20. *de Præbendis in 6.* Titius habens unum bene-

beneficium obtinuit ab aliquo inferiori collatore aliud beneficium incompatibile cum primo; unde primum dimiſit, ut aſſequeretur ſecundum. Poſtea apparuit illud ſecundum beneficium eſſe reſervatum Summo Pontifici, adeoque non potuiſse conferri ab illo inferiori collatore; ac propterea cogitur Titius illud dimittere. Stante hoc vult Titius redire ad primum beneficium, quod dimiſerat. Quæritur utrum poſſit? Reſp. affirmative: quia Titius ignorabat illud ſecundum beneficium eſſe reſervatum Papæ, & ſic errabat in facto, dum putabat ſe poſſe illud aſſequi ab inferiori collatore, & propterea excuſatur. Secus ſi erraſſet in Jure, videlicet ſi ſciviſſet, eſſe beneficium reſervatum Papæ, ſed eo non obſtante putaſſet ſe illud accipere ab inferiori collatore; quia ignorantia facti excuſat, non autem ignorantia Juris.

2 Pro intelligentia hujus regulæ notandum eſt, ignorantiam ſub diverſis reſpectibus conſiderari poſſe; ex quorum diverſitate multiplex quoque reſultat ignorantiæ ſpecies, atque diviſio. Primo enim conſiderari poteſt in ordine ad voluntatem, ſeu ad moralitatem; & ſic dividitur in invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis dicitur, quam quis vincere, ſeu depellere non potuit, poſtquam eam omnem diligentiam, eaque omnia media adhibuit, ad quæ tenebatur, ut eam depelleret: ut puta ſi Titius dubitans utrum contractus, quem inire vellet, ſit juſtus, nec ne, conſulat ea de re viros doctos, & pios, quos poteſt, qui unanimiter reſpondeant contractum eſſe juſtum, cum tamen realiter

ſit injuſtus; Dicitur habere ignorantiam invincibilem injuſtitiæ; quia, cum adhibuerit omnem diligentiam, quam debuit, non potuit illam depellere. Ignorantia vincibilis eſt, quam quis adhibito diligenti, ac debito ſtudio vincere poteſt, & a ſe depellere. Inter utramque hanc ignorantiæ ſpeciem illud præcipuum diſcrimen eſt, quod ignorantia invincibilis ſit involuntaria, cum deponi non poſſit, & propterea vocari etiam ſolet a Juriſtis probabilis, vel juſta, quia ſcilicet leges civiles, & Sacri Canones illam approbant, utpote contractam bona fide, & ſine culpa. At e converſo ignorantia vincibilis eſt voluntaria, quia depelli poteſt, & debet; ac propterea dicitur etiam a Juriſtis improbabilis, vel injuſta, quia leges illam non approbant, utpote conjunctam cum mala fide. Quam in rem facit illud Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 9. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.*

3 Subdivitur ignorantia vincibilis in affectatam, & craſſam, ſeu ſupinam. Ignorantia vincibilis affectata eſt, cum quis de induſtria aliquid ignorat, ne retrahatur, vel impediatur ab agendo, ſi illud ſciat, ut puta cum Titius de induſtria negligat cognoſcere diem jejunii ad effectum liberius indulgendi comeſtioni. Ignorantia craſſa, ſeu ſupina eſt, quando quis negligenter ſe gerit in iis ſciendis, quæ ſcire debet; & quia ita naſcitur ex culpabili deſidia, propterea dicitur craſſa, & ſupina, quia craſſi, & pingues ſolent eſſe deſides ad motum, ſicut & ii, qui ſupini jacent, & dormiunt.

4 Se-

4 Secundo conſiderari poteſt ignorantia in ordine ad objectum ignoratum, & ſic celebris ejus diviſio eſt in ignorantia facti, & ignorantiam Juris, de quibus ignorantiæ ſpeciebus ſermo eſt in regula præſenti. Ignorantia Juris eſt, per quam aliquid ignoratur ſtatutum, & deciſum ab auctoritate legis. Ignorantia facti, per quam ignoratur utrum aliquid geſtum ſit, necne; ſeu utrum aliquis actus poſitus fuerit. Ita deſumitur ex lib. 1. ff. *de Juris, & facti ignorantia*, ubi plura utriuſque ignorantiæ exempla ponuntur, ut puta ſi ſcias Titium cognatum tuum eſſe mortuum, at ignores te habere jus ſuccedendi in ejus rebus, eſt ignorantia Juris. Sed ſi ſcias te habere jus ſuccedendi, ignores tamen illum eſſe mortuum, eſt ignorantia facti. Item ſi contractum ineas cum Minore, neſciens id eſſe a lege prohibitum eſt ignorantia Juris. Si vero ſcias quidem te non poſſe contrahere cum Minore, at neſcias hunc, cum quo contrahis eſſe minorem, eſt ignorantia facti. Si demum ignores conſortium excommunicati eſſe vitandum, eſt ignorantia Juris. At ſi ſciens excommunicatum eſſe vitandum, ignores Titium eſſe excommunicatum, eſt ignorantia facti, & ſic de ceteris ſimilibus.

5 His præſuppoſitis præſens regula continet duas partes, quarum prima eſt ignorantiam facti excuſare: altera vero ignorantiam Juris non excuſare. Quod igitur attinet ad primam partem, notandum eſt ignorantiam facti debere hic ſumi pro ignorantia facti alieni. Ignorantia enim facti proprii regulariter non excuſat, ut habetur ex lib. 3. *de Juris, & facti ignorantia*, niſi aliquæ tamen interveniant cir-

cumſtantiæ, ex quibus etiam circa factum proprium reſultet aliqua ignorantiæ excuſatio, ut puta ſi factum ſit valde antiquum, unde facile induci potuit ejus oblivio, vel ſi factum fuit valde obſcurum, vel ſi ſermo ſit de homine, qui pluribus negotiis implicitus eſt, ut ex plurium auctoritate tradit Barboſ. ad hanc regulam n. 20.

6 Sed neque generaliter obtinet ignorantiam alieni facti excuſare: ea enim tunc ſolum excuſare dicenda eſt, quando eſt probabilis. Quare ſi contingat aliquid ignorari, quod potuit, & debuit ſciri cum mediocri diligentia, ut puta, quia palam, & publice geſtum fuit, aut quia fuit aliquid affixum in loco publico, &c. tunc talis ignorantia cum ſit hominis nimium ſecuri, & ſupini, non excuſat, ut habetur ex l. *Nec ſupina* 6. ff. de Juris, & facti ignorantia; unde eſt, quod decreta Principis, poſtquam ita ſunt publicis locis affixa, & promulgata, perinde omnes obligant, ac ſi ſingulis perſonaliter eſſent intimata; nec poteſt ſe quis legitime excuſare per ignorantiam ejuſdem Decreti, & promulgationis.

7 Extra ſimiles circumſtantias ignorantia alieni facti regulariter excuſat; quia regulariter eſt probabilis: quis enim dicat unumquemque poſſe, ac debere ſcire quidquid ab aliis geſtum eſt? unde etiam prudentiſſimi homines plurima aliena facta ignorare poſſunt, ut dicitur in lib. 2. ff. eodem tit. atque hæc eſt ratio quare præſens regula ſtatuat ignorantiam facti regulariter excuſare.

8. In contrarium tamen objici poteſt textus in l. *Cum putarem* 36. ff. *familiæ erciſcundæ*, ubi dicitur, quod ſi quis falſo putaverit aliquem decla-

declaratum fuiſſe ſuum coheredem, & propterea illi ſolverit partem hereditatis, ſed poſtea cognoſcat id verum non eſſe; non propterea poteſt tueri ſe excuſatione ignorantiæ, ejuſque favore ab illo repetere id, quod ipſi ſolvit; atqui ea ignorantia, quam habuit, fuit ignorantia facti alieni, quæ etiam probabilis eſſe potuit: ergo falſum eſt, quod ignorantia facti alieni, ſi ſit probabilis, excuſet. Alia quoque difficultas objici poteſt ex tot. tit. C. *de hereditariis actionibus*, ubi habetur, teneri heredem iis nominibus, ſeu delictis, quibus tenebatur defunctus, nec poteſt ſeſe excuſare prætextu ullius ignorantiæ: ergo, &c.

9 Reſpondetur ſolutionem primæ difficultatis clare deduci ex ipſo textu illius legis, ubi illud ſtatutum eſt, hoc eſt quod non poſſit repeti ſolutum falſo coheredi, tunc ſolum declaratur eſſe ſervandum, quando illa ſolutio decreta fuit per ſententiam Judicis: cum enim ſententia Judicis faciat jus inter partes, mirum non eſt quod non poſſint partes a ſententia recedere ſub prætextu alicujus etiam probabilis ignorantiæ. Secus accideret, ſi independenter ab omni ſententia Judicis ſolverit quis ignoranter falſo coheredi partem hereditatis; in eo enim caſu locum haberet præſens regula, & illa probabilis ignorantia eſſet ſufficiens excuſatio, & motivum repetendi, quod ſolutum eſt, ut expreſſe habetur in dicta l. *Cum putarem* §. fin. Ad alteram difficultatem reſpondetur facile ex ſæpius dictis, heredem per fictionem Juris cenſeri eumdem cum defuncto, quoad debita, vel credita, quæ a Defuncto tranſeunt in heredem; adeoque debi-

debitum, vel creditum, quod fuit proprium defuncti, eſt proprium heredis, unde & ipſe obligatur, ſicut obligabatur defunctus.

10 Quod attinet ad alteram partem regulæ, in qua dicitur ignorantiam Juris non excuſare, notanda eſt celebris limitatio, quæ ponitur in l. *Juris 7. ff. de Juris, & facti ignorantia*, per hæc expreſſa verba: *juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ſuum vero petentibus non nocet*. Dupliciter enim per ignorantiam Juris poteſt quis ſibi præjudicare: primo per hoc, quod ex ignorantia Juris aliquid faciat, ex quo perdit aliquod lucrum, quod ceteroquin conſequi potuiſſet; ſecundo per hoc quod ex ignorantia Juris aliquid faciat, ex quo patiatur aliquod damnum in rebus ſuis, quod ceteroquin paſſus non eſſet, ſi jus non ignoraſſet. Exemplum habes in leg. *Regula 9. ff. de Juris, & facti ignorantia*. Lege ſtatutum eſt, ut ad manus heredis pervenire ſaltem debeat quarta pars hereditatis, itaut ſi hereditas nimium gravata ſit legatis, quibus ſolutis non remaneret heredi quarta pars hereditatis, poſſit heres poſt factum inventarium tantumdem ſibi retinere, & proportione ſervata defalcare de legatis, quantum ſatis eſt, ut ſaltem quarta hereditatis parte potiatur; quæ lex lata fuit a Cajo Falcidio Tribuno plebis, unde Falcidia vocatur, de qua ſermo eſt in toto tit. ff. & C. *ad legem Falcidiam*, & in 3. Decret. cap. *Rainaldus 18. de Teſtamentis*. Hoc ſuppoſito, ſi quis heres iſtam legem ignorans ſolverit integra legata, quibus ſolutis, minus quam quadrante hereditatis potiatur, perdit Falcidiam, nec pro ea repetenda poteſt ſe ignorantiæ excuſa-

cuſatione tueri, quia in tali caſu agitur de lucro acquirendo, circa quod juris ignorantia non excuſat. Item aliud exemplum habes in leg. 1. ff. *de Juris, & facti ignorantia*. Si quis ignoret, jus ſibi non competere adeundi poſſeſſionem alicujus rei intra determinatum tempus, ſolumque animadvertat poſtquam tempus illud effluxerit, non poteſt prætextu ignorantiæ ſe excuſare, ejuſque beneficio poſſeſſionem ingredi, quia fuit ignorantia Juris, & agitur de captando lucro, cui non favet ignorantia Juris. Oppoſitum accidit, ubi agitur de damno, quod aliquis ex ignorantia Juris paſſus eſt in rebus ſuis, cujus exemplum habes ex toto tit. ff. & C. *de Condictione indebiti* in eo, qui ignoranter putans ſe teneri ad ſolvendum alteri, ad quod ſolvendum nullam habebat obligationem naturalem, quando errorem deprehendi poteſt, ſolutum repetere: in eo enim caſu æquitas prævalet ignorantiæ, quia ut dicitur in leg. 14. ff. *de conditione indebiti; natura æquum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*. Dixi *ad quod ſolvendum nullam habebat obligationem naturalem*. Si quis enim Jus ignorans ſolvat indebitum civiliter, ſed debitum naturaliter, non poteſt in tali caſu tueri ſe excuſatione ignorantiæ, ejuſque favore ſolutum repetere, ut habetur in leg. *Cum quis* de Jur. & fact. ignor. juncta Gloſ.

11 Sed & ubi agitur etiam de lucro acquirendo, ex eodem motivo æquitatis, dantur aliqui caſus excepti, in quibus Juris ignorantia non nocet, ut videre eſt in cit. l. *Regula eſt* 9. ff. *de Juris, & facti ignorantia*; ubi excipiuntur milites, & filiifamilias, minores 25. annis,

quia

quia illi magis arma, quam Jura ſcire præſumuntur, ut dicitur in l. ult. C. *de Jure deliberandi*; hi vero propter immaturitatem judicii ſunt digni venia, quod etiam expreſſe decernitur in l. *quamvis* 11. C. *de Juris, & facti ignorantia*. Item in eadem l. *Regula eſt*, excipitur caſus, in quo aliquis ignoraverit Jus ex eo, quia neque habuit copiam Juriſconſulti, ex quo potuerit illud ſcire, neque ſatis prudentiæ, ut per ſe ipſum potuerit indagare: cum enim in tali caſu ejus ignorantia ſit probabilis, ſuccurritur illi ex æquitate per beneficium legis, ut ex tali ignorantia excuſari poſſit; ad quod etiam facit cap. ultim. diſtin. 37. apud Gratianum. Ubi tamen adverte exceptiones iſtas intelligendas eſſe quoad ignorantiam Juris poſitivi civilis. Ceterum ignorantia Juris naturalis, vel non datur in adultis, vel ſi dari aliquando contingat, damnabilis eſt, adeoque non excuſat, ut ſumitur ex Grat. *in cau. 1. q. 4. cap. penult. §. Notandum*.

R E G. XIV.

Cum quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſſam habere cenſetur.

1 DEſumitur hæc regula ex l. *qui in alterius* 42. ff. *de diverſ. regulis Juris*. Caſus figurari poteſt ex c. *Si Sacerdotes* 10. cau. 16. qu. 3. & ex c. *Cura paſtorali* 11. *De Jure patronatus*. Quidam laicus donavit Monaſterio, aut alteri Clericorum communitati Eccleſiam, abſque auctoritate, & conſenſu

Epi-

Epiſcopi aut alterius Superioris Eccleſiaſtici, ad quem ejus Eccleſiæ collatio pertinebat. Ejuſmodi donatio invalida fuit, quia non eſt in manu Laici dare Eccleſiam, ſed Epiſcopi, immo ab eodem Monaſterio nec inchoari poteſt præſcriptio ſuper illam Eccleſiam, quamdiu vivit ejuſdem Monaſterii Superior, in cujus manu donatio facta fuit, quia eſt poſſeſſio malæ fidei. Sed ſupponamus quod ille Superior, aliique mortui ſint, quibus facta fuit donatio, & alii in locum eorum ſucceſſerint in Monaſterio: numquid iſti poſſunt inchoare legitimam poſſeſſionem, ſeu præſcriptionem in illa Eccleſia? Reſpondetur affirmative, quia iſti præſumuntur habere bonam fidem, cenſetur enim habere juſtam cauſſam ignorantiæ, & putare Eccleſiam datam fuiſse ab habente poteſtatem; quia cum quis in jus ſuccedit alterius juſtam ignorantiæ cauſsam cenſetur habere.

2 Hæc regula verſatur circa ignorantiam facti, unde eſt quaſi exemplum regulæ præcedentis, ut notat Gloſ. ad hanc regulam in fine. Si enim ignorantia facti alieni, quæ probabilis ſit, excuſat, ut explicatum eſt; excuſabit pariter ignorantia, quam habet Succeſsor circa factum ſui anteceſsoris, quia etiam hæc eſt probabilis ignorantia facti alieni. Huc etiam facit exemplum allatum a Gloſ. in ſupracit. l. *qui in alterius*, de Titio, qui tecum convenerit ſe daturum tibi pecuniam, & interim mortuus fuerit: in quo caſu ſi ejus heres non ſtatim tibi ſolvat, non propterea conveniri poteſt, & puniri propter dilationem ſolutionis, quia excuſatur ignorantia de facto ſui Anteceſſoris, hoc eſt de promiſſione tibi facta, quam

quam ignorantiam habere præſumitur, quæ excuſatio præſertim locum habet, quando agitur de damno vitando: ignorantiam enim in herede univerſali circa factum defuncti non præſumi, quando agitur de lucro captando, ſed potius præſumi ſcientiam, docuerunt Maſcard. concl. 779. nu. 37. Dynus in reg. *Præſumitur* loc. cit. & hoc tit. aliique citati a Barb. ad hanc reg. num. 5.

R E G. XV.

Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

1 DEſumitur ex l. *Cum quidam* 19. ff. *de liberis, & poſthumis*, c. *Tua* 25. *de Decimis*, aliiſque Juribus. Caſus quoad primam partem regulæ, in qua ſermo eſt de odiis reſtringendis figurari poteſt ex cit. cap. *Tua*, ubi cum eſſent conceſſæ in feudum quibuſdam Laicis aliquæ decimæ, quæſitum fuit, utrum iiſdem accreſcere deberent etiam decimæ novalium, hoc eſt terrarum de novo redactarum ad culturam, de quibus memoria non extabat quod aliquando cultæ fuerint, ita enim explicatur vox *Novalium* in cap. *quid novale* 21. *de Verbor. ſignificatione*. Reſponſum eſt autem, non debere ipſis accreſcere, ſed ſolum poſſe ipſos percipere decimas in terris, quæ tempore infeudationis erant cultæ, quia illa conceſſio facta laicis de percipiendis decimis eſt conceſſio odioſa, odia autem non ſunt extendenda, ſed potius reſtringenda. Item alius caſus habetur in cap. 1. *De Filiis Presbyter. in 6.*

Si

Si cum aliquo illegitime nato diſpenſatum fuerit, ut, non obſtante defectu natalium, poſſit ad beneficium etiam curatum promoveri, vigore hujus diſpenſationis non poteſt niſi unicum beneficium obtinere, quia eadem diſpenſatio, utpote odioſa, eſt reſtringenda. Demum exemplum quoad alteram partem regulæ, in qua dicuntur favores ampliandi, ſumi poteſt ex l. 1. C. *de ſententia paſſis, & reſtitutis*, quæ lex inſeritur a Grat. in ſuo Decr. cau. 2. qu. 4. in fine, ubi authentice declaratur, quod ſi Princeps alicui ad exilium damnato dicat; reſtituo te in integrum provinciæ tuæ, intelligendus ſit non ſolum de condonatione criminis, & exilii, ſed etiam de reſtitutione honoris, & gradus, omniumque ceterorum; quia ſcilicet eſt reſtitutio gratioſa, & favorabilis, quam convenit ampliari.

2 Pro intelligentia regulæ, notandum eſt nomine odii non intelligi hic affectum illum voluntatis, qui eſt contrarius amori; ſed latiori acceptione ſignificari quidquid in ſe pœnam aliquam, vel moleſtiam continet, aut aliquo modo redundat in gravamen, ſeu præjudicium; item nomine favoris non intelligi hic affectum illum benevolentiæ, quo voluntas aliquem proſequitur, ſed ſignificari quidquid in ſe gratiam continet, & provocat benevolentiam. Ita colligitur ex l. *qui acceptionem* 40. ff. de conditione indebiti, & l. *quod favore* 6. C. *de Legibus* juncta reg. *quod ob gratiam* 61. infra, hoc tit.

3 Notandum præterea eſt, dari nonnumquam aliquos actus, ſeu conceſſiones, quæ relate ad illam particularem perſonam, ad quam immediate terminantur poſſunt aliquo modo dici favora-

vora-

vorabiles, quatenus nullum ipſi gravamen, ſeu præjudicium videntur inferre; relate tamen ad aliquem tertium, ſive etiam ad totam communitatem dici poſsunt odioſæ, quatenus aliquo modo præjudicant Juri tertii, aut derogant alicui publicæ utilitati; qualia ſunt, quæ derogant alicui juri communi, quia ad utilitatem, & tranquillitatem publicam pertinet, ut quantum fieri poteſt, ſervetur ab omnibus jus commune.

4 Jam vero, quia utilitas, & tranquillitas publica de genere ſuo prævalet utilitati privatæ; ideo omnia ea, quæ aliquatenus derogant Juri communi, dicuntur ſimpliciter odioſa, quamvis contingat alicui particulari perſonæ eſſe favorabilia, cujus generis ſunt diſpenſationes, quæ contra Jus commune conceduntur. Inde fit, quod eadem reſtringi debeant, hoc eſt ſtricte interpretari, itaut, vel nihil, vel minimum quantum fieri poteſt, præjudicent juri communi, ut eſt exemplum in c. *cum dilectus* 8. de conſuet. ubi cum tractaretur de quodam ſtatuto, cujus verba indifferentia videbantur, ut vel intelligerentur in ſenſu derogante juri communi, vel in ſenſu non derogante eidem, Summus Pontifex illa interpretatur in ſenſu non derogante.

5 Idem juris eſt, quando per aliquam conceſſionem alicui factam derogari videtur, aut præjudicari juri tertii: quia etiam tunc illa conceſſio reſtringi debet, ſeu ſtricte interpretari, itaut vel nihil, vel minimum quantum fieri poteſt præjudicet Juri tertii: præſumpta enim Principis mens eſt, ita velle uni indulgere, ut alteri nocere non velit: conceſſiones autem a Prin-

Principe factæ non extenduntur ultra Principis voluntatem. Ita deſumitur ex c. *Quamvis* 8. *de reſcriptis in 6.* ex l. *reſcripta* 7. *C. de precib. Imperatori offerendis*, & ex l. §. *Si quis a Principe* ff. *Ne quid in loco publico*.

6 Secus accidit in iis, quæ ſunt pure favorabilia, nullique præjudicant, neque derogant Juri communi; ea enim juxta præſentem regulam convenit ampliari, hoc eſt ample interpretari, quantum patitur natura rei, & proprietas verborum, ut deſumitur etiam ex l. penult. ff. *de Conſtitutionibus Principum*, & ex l. *olim* 16. *de verbor. ſignificatione*, & ex c. *Ex parte* 27. *de Decimis*, ubi privilegium cuidam Abbati conceſſum ſuper percipiendis decimis de laboribus terræ Parochiarum ſuarum, dicitur extendendum eſſe etiam ad Novalia, itaut ſcilicet vigore illius privilegii poſſet ille Abbas percipere decimas etiam de novalibus. Atque hic nota diſcrimen inter id, quod ſtatutum fuit in c. *Tua*, de quo diximus ad initium hujus regulæ, & inter id, quod fuit decretum in cit. cap. *Ex parte*. Nam in c. *Tua* expreſſe habetur, quod ſi alicui Laico conceſſa ſit facultas percipiendi decimas, non debeat eadem extendi ad novalia. E converſo in cap. *ex parte* habetur, quod facultas cuidam Abbati conceſſa percipiendi decimas, extendi quoque debeat ad Novalia. Ratio diſparitatis eſt: quia facultas illa conceſſa Laico cenſetur odioſa, utpote devians a primæva Decimarum inſtitutione, & a jure communi, ſecundum quod decimæ ſolvuntur Clericis; conceſſio autem odioſa reſtringenda eſt. E converſo conceſſio illa percipiendi

deci-

decimas, de qua ſermo eſt in cap. *ex parte* eſt conceſſio facta Clerico, unde non deviat a Jure communi; ac propterea debet eſſe amplæ interpretationis, quia odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

7 Excipitur tamen ab hac regula conceſſio illa, quæ quamvis favorabilis ſit, utpote nullam pœnam, aut gravamen imponens, ſed gratiam ſolam conferens ei, cui conceditur, nihilque præjudicans juri communi, aut juri alicujus tertii; attamen eſt in eo impetrationum genere, quæ dicuntur ambitioſæ, utpote tendentes ad incrementum honoris, aut dignitatis; quales ſunt litteræ ſuper obtinendis beneficiis impetratæ, iiſque ſimilia, de quibus ſermo eſt in c. *quamvis* 4. *de præben. in* 6. ubi decernitur, quod ejuſmodi conceſſiones, ſeu litteræ, utpote ambitioſæ ſint reſtringendæ. Inde eſt, quod ſi aliquis reſcriptum impetraverit, in quo mandetur collatio beneficii ipſi facienda uſque ad certam ſummam, vigore hujus reſcripti non poterit ipſi provideri in penſione, ſed ſolum in beneficio; niſi tamen in eodem reſcripto fiat expreſſa mentio, etiam de penſione.

8 Supereſſet hic aliquid explicandum circa ſtatuta, & leges pęnales, utrum, & quomodo reſtringenda ſint, ſeu ſtricte interpretanda, & utrum id ſemper locum habeat in qualibet lege pęnali. Sed de hac re ſermo erit inferius in explicatione regulæ *in pęnis* hoc tit. ubi de illa re agitur.

REG.

R E G. XVI.

Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum.

1 DEſumitur hæc regula ex c. *ſi ſuper gratia 9. de off. deleg. in 6.* c. *ſi cui nulla 36. de præb. in 6.* aliiſque juribus hic citatis a Gloſ. unde caſus ita figurari poteſt. Summus Pontifex conceſſit Titio beneficium, & executorem delegavit, qui Titium in beneficii poſſeſſionem immitteret. Accidit antequam fieret illa executio Summum Pontificem mori; unde quæſitum fuit, utrum morte illa concedentis expiraverit facta conceſſio, ita ut executor delegatus non habuerit amplius poteſtatem immittendi Titium in poſſeſſionem beneficii? Reſponſum eſt, non expiraſſe conceſſionem gratiæ, adeoque nec poteſtatem executoris, veluti acceſſoriam eidem gratiæ, quia decet conceſſum beneficium a Principe eſſe manſurum.

2 Hæc regula non eſt ita intelligenda quaſi in nullo umquam caſu beneficium ſeu privilegium a Principe conceſſum ceſſare poſſit. Pluribus enim modis ceſſare contingit, ut patet ex iis, quæ ſupra diximus ad reg. 7. ubi dictum fuit, quomodo ceſſare poſſit privilegium per non uſum, ſeu abuſum ejuſdem, per lapſum temporis, ad quod conceſſum fuit &c. Intelligenda igitur eſt pro caſu, in quo Princeps non alligaverit conceſſionem certo tempore, aut in quo delictum, ſeu abuſus, vel aliquod enorme præjudicium alteri reſultans ceſſare non faciat conceſſionem, ut eſt exemplum in c. *ſuggeſtum*

9. de

9. *de decimis*, ubi privilegium quibuſdam Religioſis conceſſum non ſolvendi decimas, quia incepit eſſe enormiter nocivum tertio, revocatum fuit: ſecluſis his circumſtantiis, beneficium regulariter durat etiam poſt mortem concedentis, ut patet in caſu propoſito ex cit. c. *ſi ſuper gratia* ex off. deleg. in 6.

3 Quæres: quid ſi Princeps non conceſſerit ipſe per ſe beneficium, ſed tantummodo alterum delegaverit ad faciendam conceſſionem; interim autem re integra, ſeu antequam delegatus ad conceſſionem procedat, ipſe Princeps moriatur; numquid etiam in tali caſu commiſſio Principis debet eſſe manſura, itaut vigore illius commiſſionis poſſit delegatus beneficium concedere, etiam poſt mortem Principis delegantis?

4 Reſpondetur cum diſtinctione, ut expreſſe diſtinguitur in cit. cap. *ſi cui 36. de præben. in 6.* Vel enim illa delegatio facta eſt abſque expreſſione particularium perſonarum, quibus beneficia conferri debeant a delegato; vel facta eſt delegatio cum expreſſione certæ perſonæ, ut puta, ſi dicat: Committo tibi, ut beneficium conferas Titio. Si delegatio primo modo facta eſt, durat etiam poſt mortem delegantis. Ratio eſt: quia ejuſmodi delegatio facta cenſetur in favorem, ſeu beneficium delegati, cum ſit magna ejus prærogativa poſſe idoneas perſonas eligere; beneficium autem a Principe conceſſum non expirat per mortem concedentis. At ſi delegatio facta fuit de conceſſione facienda certæ perſonæ, expirat omnino per obitum delegantis, re integra. Ratio eſt, quia per talem delegationem nemini

pro-

proprie conceſſum eſt a Principe beneficium : Non delegato, quia talis delegatio non cenſetur facta in favorem delegati : non perſonæ providendæ , quia eidem non fuit beneficium a Principe conceſſum , ſed beneficii conceſſio commiſſa fuit delegato. Non extenditur igitur ad hunc caſum hæc regula juris , quæ ſolum loquitur de beneficio a Principe conceſſo, adeoque ſervari in eodem caſu debet generalis doctrina de Officio delegati, cujus facultas regulariter ceſſat per mortem delegantis, ſi res ſit integra, ſeu nondum incepta executioni mandari, ut conſtat ex c. *Relatum* 19. & c. *Licet undique* 30. de Off. Deleg.

5 Quæres præterea, utrum beneficium , ſeu privilegium a Principe conceſſum, ita dicatur in hac regula debere eſſe manſurum, ut neque ipſe Princeps poſſit illud libere revocare?

Reſpondetur, de hac re ſermonem fuiſſe in ultima parte Inſtitutionum noſtrarum cap. 9. ubi egimus de privilegiis, & exceſſibus privilegiatorum , ex quo quæſtionis reſolutio peti poteſt .

R E G. XVII.

Indultum a Jure beneficium non eſt alicui auferendum .

1 DEſumitur ex C. *de his* 6. diſt. 28. aliiſque p[a]tribus in utroque Jure ; unde caſus multipliciter figurari poteſt . Titius promotus eſt ad beneficium , pro quo debet ordinari Sacerdos intra annum , ex vi Canonis *licet Canon* 14. *de elect. in* 6. Numquid poteſt

Epiſcopus pro libertate ſua, & abſque urgenti cauſſa, tale tempus breviare, Titiumque cogere, ut ordinetur intra dimidium anni? Reſpondetur negative: quia Titius habet a Jure tempus anni, intra quod ordinetur; quæ autem a Jure conceſſa ſunt, non poſſunt per inferiorem auferri. Item mulieribus viduis conceſſa eſt facultas ab Apoſtolo tranſeundi ad ſecundas nuptias, etiam intra annum luctus poſt mortem primi Mariti: numquid, vel Epiſcopus, vel alius poteſt illas prohibere, ne matrimonium contrahant intra annum luctus? & numquid lex civilis idem prohibens ſub gravibus pœnis, ut videre eſt in l. 1. C. *de ſecundis nuptiis*, ſit valida in ordine ad privandas mulieres facultate nubendi? Reſp. etiam negative: quia facultas illa eſt ipſis conceſſa ab Apoſtolo, & a Jure Canonico, unde per poteſtatem inferiorem auferri ab illis non poteſt.

2 Ex his habes intentum regulæ, cujus ſenſus in eo eſt, quod facultas ſeu beneficium a jure conceſſum non poſſit auferri per inferiorem, quod fundari poteſt in C. *Cum inferior* 15. *de Majorit. & Obedientia*, ubi dicitur inferiori poteſtatem non competere ſupra ſuperiorem, & ſupra ea, quæ a ſuperiore dependent. Secus accidit in ipſamet lege, ſeu in ipſo Legislatore, a quo facultas, vel beneficium indultum eſt: quod enim per unam legem conceſſum eſt a Principe, poſſet auferri per aliam legem, aut per contrariam conſuetudinem habentem vim legis, quia in tali caſu non verificatur, quod inferior ſolvat, vel liget, quod eſt a Superiore ligatum, vel ſolutum. Sic de facto quamvis ex ſtatuto legis legiti-

gitima filiorum auferri, vel minui non poſſit, ut videre eſt in toto tit. ff. & Inſt. *de inofficioſo Teſtamento*, hoc tamen non obſtante minui poteſt per conſuetudinem, vel per legem, vel Principis auctoritate, ut videri poteſt apud Cov. *de Sponſ. p.* 2. *c.* 8. §. *n.* 4. Alia etiam exempla videri poſsunt apud Gloſ. ad hanc regulam.

3 Quod autem dictum eſt, non poſse per inferiorem auferri id, quod a lege conceſsum eſt, intelligi debet, quando nullatenus in ipſa lege permittitur inferiori, ut poſſit illud auferre, vel minuere. Plures enim ſunt caſus in jure expreſſi, in quibus conceſſio per legem facta committitur miniſterio inferioris, ut poſſit ex juſta cauſsa illam auferre, vel minuere; ut puta quamvis appellans habeat de conceſſione juris annum ad proſequendam appellationem, attamen Judex a quo appellatum eſt, poteſt ex juſta cauſsa tempus illud coarctare, ut conſtat ex c. *Cum ſit* 5. *De appellationibus*, & ſic de aliis pluribus.

4 Sed & etiamſi conceſſio per legem facta non committatur expreſse miniſterio Judicis inferioris, adhuc poſse aliquando per inferiorem auferri, ubi gravis aliqua cauſsa interveniat, docet Gloſ. ad hanc regulam, quam ſententiam amplectitur etiam Bart. in l. 2. ff. *de re judic.* ſequiturque etiam Panor. in c. *Cum ſit* 5. de appell. n. 11. dummodo tamen ablatio illa conceſſionis legalis non redundet in præjudicium poteſtatis ſuperioris, cujus rei exemplum ponit ex c. *Ex inſinuatione* 50. de appell. Nam appellans habet de conceſſione juris annum ad proſequendam, & finiendam appellationem: hunc terminum temporis, quoad præſtandam, & proſequendam appellationem poteſt cum cauſsa reſtringere Ju-

dex ille, a quo appellatum eſt, at reſtringere non poteſt quoad finiendam appellationem, ut conſtat ex cit. c. *Ex inſinuatione*. Diſparitatem affert; quia Judex inferior, a quo appellatum eſt limitando tempus pro finienda appellatione præjudicaret poteſtati Judicis ſuperioris, ad quem appellatum eſt, eique quaſi legem imponeret obligando illum, ut abſolvat cauſſam appellationis intra limitatum tempus, quod fieri non poteſt; at limitatio temporis quoad præſentandam, & proſequendam appellationem tangit jus partis, nihilque præjudicat poteſtati ſuperioris; unde cum cauſſa poni poteſt ab illo Judice inferiori.

5 Denique notandum eſt, iſtam regulam non procedere circa ea beneficia, quæ a Jure conceduntur in defectum proviſionis hominis: in iis enim ubi ponitur proviſio hominis, ibi ceſſat beneficium legis, ac de his intelligi debet illud vulgare dictum; *Proviſio hominis tollit proviſionem legis*, quod legitur in rubr. *l. Et habet* §. *Cum quis* ff. de Precario, ubi etiam exemplum habes in beneficio interdicti de precario, mediante quo interdicto, ſi quis alteri rem ſuam commodaverit pro ſuo libito repetendam, etiamſi non appoſuerit ſtipulationem de ea reſtituenda, adhuc agere poteſt ad illam recuperandam; quod beneficium ceſſat, ſi quis eam ſtipulationem appoſuerit, quia tunc agere poteſt ad recuperandam rem non in vi ejuſdem interdicti, ſed per actionem civilem fundatam in ipſa ſtipulatione, ut etiam conſtat ex §. *De conſt. Inſtit. de Actionibus*.

REG.

R E G. XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. *quod initio* 29. & ex l. pen. ff. *de diverſis regulis juris*, & ex c. *Auditis* 29. de Elect. aliiſque juribus, ex quibus multipliciter figurari poteſt caſus. Titius electus, ſeu promotus fuit ad Prælaturam ſimoniace, adeoque invalide. Poſtea tamen per aliquod tempus irreprehenſibilis fuit in adminiſtratione ejuſdem Prælaturæ. Numquid ille vitioſus, & invalidus ingreſſus convalidatur ab illo temporis curſu, itaut eo mediante cenſeri debeat Titius poſſidere legitime prælaturam, quam ab initio non poſſedit legitime? Reſp. negative: quia, quod ab initio nullum, ſeu invalidum de jure, non poteſt tractu temporis validari. Item alius caſus poni poteſt ex c. *Si eo tempore* 9. de reſt. in 6. Titius obtinuit reſcriptum de proviſione beneficii curati, quando nondum habebat idoneam ætatem ad idem beneficium, adeoque obtinuit reſcriptum ſubreptitium, & invalidum. Sed ſupponamus, quod antequam idem reſcriptum mandandum eſſet executioni, aliquod temporis ſpatium interponatur, intra quod Titius fiat legitimæ ætatis in ordine ad idem beneficium obtinendum: numquid in tali circumſtantia prædictum reſcriptum validatur, ita ut vigore ejuſdem poſſit Titius aſſequi beneficium? Reſp. neg. juxta eamdem regulam; quia, quod initio non valuit, tractu temporis non convaleſcit.

2 Uſus hujus regulæ ſatis ample extenditur: locum enim habet tum in proviſionibus beneficiorum, ut ex dictis patet, tum etiam in ultimis voluntatibus, ut conſtat ex §. *præterea Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*, ubi dicitur teſtamentum factum ab impubere, vel a furioſo, quod fuit nullum propter defectum judicii non validari per hoc, quod impubes poſtea pubes, aut furioſus poſtea compos mentis factus fuerit, & deceſserit. Item locum habet in contractibus, ut conſtat ex *l. Inter ſtipulantem* 83. §. *Sacram.* ff. *de Verbor. obligationibus*, ubi dicitur, quod ſi quis contractum fecerit de re ſacra, aut publicis uſibus in perpetuum deputata, adeoque contractum invalidum; etiamſi res illa ſacra poſtea evadat profana, & res publicis uſibus deputata convertatur in uſus privatos, non propterea validatur contractus ille ab initio invalide celebratus. Et ſic de aliis pluribus. Ratio iſtorum omnium eſt: tum quia juxta regulam infra explicandam hoc tit. *quæ contra jus fiunt debent pro infectis haberi*; tum etiam quia ſolum tempus non ſatis eſt ad inducendam vel tollendam obligationem, ut patet ex l. *Obligationum fere* 44. §. *placet* ff. *de Obligationibus*, *& actionibus*.

3 Notandum tamen hic eſt, iſta omnia intelligenda eſse de iis, quæ ita contra jus fiunt, ut ſint ipſo jure nulla, ſeu invalida, non autem præciſe annullanda, ſeu invalidanda. Duplicis enim generis pro re præſenti datur actus: unus dicitur irritus, & invalidus ipſo jure, qualis eſt, qui de ſtatuto juris, ſtatim ac ponitur, caret penitus omni valore, nec opus eſt ulla

ſen-

ſententia Judicis invalidante, ſeu reſcindente eumdem actum. Alius dicitur irritandus, ſeu invalidandus, qui valet, quando ponitur, & quamdiu non reſcinditur per ſententiam, per quam ſi reſcindatur (ut poteſt, & meretur reſcindi) tunc evadit actualiter irritus penitus, & invalidus. Exemplum utriuſque afferri poteſt ex titulo de Electione. Si aliquis capitulariter eligatur, qui non habuerit ſuffragia majoris partis Capituli, ejus electio ipſo jure eſt invalida, ut conſtat ex cap. *Auditis 29. de Electione*, nec opus eſt ſententia Judicis talem electionem reſcindentis. E converſo, ſi quis capitulariter eligatur a majori parte Capituli, ſed aliquis Elector, cui competebat jus dandi ſuffragii fuerit contemptus, hoc eſt non vocatus, quando commode potuit, & debuit vocari; Electio eſt actualiter valida, ſuppoſito, quod omnia reliqua concurrerint ad ſubſtantiam electionis neceſsaria, ſed ſimul eſt annullanda, & invalidanda, quia Elector contemptus habet jus agendi, ut talis Electio per ſuperioris ſententiam annulletur, quia contemptus fuit, ut conſtat ex c. *Quod ſicut* 28. de Elect.

4 Jam vero inter utrumque hoc actuum genus, pro re præſenti ea differentia eſt, quod actus, qui fuerit ab initio nullus ipſo jure, non poſſit per ſolum tractum temporis convaleſcere; & circa hunc procedit præſens regula Juris, in qua ponitur expreſſe illa particula *de Jure*. Secus accidit in actu, qui ab initio non fuerit nullus, ſed præciſe annullandus, ut docet Gloſ. ad hanc reg. quamdiu enim actus ejuſmodi non annullatur, remanet in poſſeſs. ſuæ validitatis, unde quaſi quodam

præſcriptionis genere tractu temporis convaleſcit.

5 Notandum præterea cum eadem Gloſ. & cum Dyno in explicatione hujus regulæ, convalidationem actus ab initio de jure nulli excludi per hanc regulam a ſolo tractu temporis, qui per ſe ſatis non eſt ad inducendam validitatem, etiamſi interim nullitatis ejus cauſſa ceſſaverit, ut patet ex exemplo ſupra allato de impetrante reſcriptum beneficiale invalidum propter defectum legitimæ ætatis, quod reſcriptum non validatur, etiamſi poſtea ætas legitima ſuperveniat, & ſic de aliis ſupra eductis. Ceterum ſi præter tractum temporis, & ceſſationem cauſſæ nullitatis ſuperveniat etiam cauſſa confirmans, tunc pluries contingit actum quoque validum reddi; Ita tamen, ut non retrotrahatur validitas, ſeu per fictionem juris non cenſeatur actus fuiſſe validus ab initio, ſed incipiat ipſa validitas ex tunc, quando ponitur cauſſa confirmans, perinde ac ſi tunc actus validus primo poneretur. Exemplum habes in cap. *Cum nos* 3. De his, quæ fiunt a Prælato, ubi dicitur, quod alienatio rerum Eccleſiæ facta ſine conſenſu capituli, quamvis de rigore Juris non teneat, validari tamen poteſt, ſi Capitulum eam ratam habeat, & ſic de aliis pluribus, quæ fuſe citantur hic a Gloſſa.

6 Recolendum tamen hic eſt id, quod diximus ad reg. 10. *Ratihabitionem retrotrahi*, dari videlicet aliquos actus, pro quorum validitate ſpectatur ſpecifice initium, & conſenſus ab initio habitus tamquam forma, pro his enim ratificatio, ſeu conſenſus poſtea ſuperveniens nihil facit ad inducendam validitatem, & ita accidit in exemplo ſupra poſito de electione

facta

facta a minori parte Capituli, quam electionem confirmare, ſeu validare non poteſt conſenſus poſtea ſuperveniens aliorum Canonicorum. Idem juris eſt pro iis actibus, pro quorum validitate requiritur ab initio conſenſus aliquis auctoritativus, cujus exemplum in explicatione ejuſdem regulæ 10. adduximus contractum celebratum a minore, pro cujus validitate opus eſt ab initio conſenſu auctoritativo Tutoris, vel Curatoris, unde per ſubſequentem ejuſdem Tutoris conſenſum validari non poteſt. Videri poteſt Panor. in c. *Cum nos* 3. *De his, quæ fiunt a Prælato &c.* n. 5. ubi fuſe hanc rem proſequitur, caſuſque diſtinguit, in quibus pro inducenda validitate ſatis eſſe, vel non eſſe poteſt conſenſus ſuperveniens.

7 Contra hanc regulam ita explicatam objicitur, & ſolvitur a Gloſ. difficultas petita ex c. *Cura* 11. *De jure patronatus*, ex quo habetur, quod ſi laici aliquam Eccleſiam donaverint Clericis abſque auctoritate Epiſcopi, poſſit ejuſmodi donatio, superveniente conſenſu Epiſcopi, aut etiam tractu temporis confirmari; & tamen ea donatio fuit ab initio nulla de jure, & invalida. Sed facile reſpondetur, in eo caſu donationem illam non validari per ſolum tractum temporis, ſed quia ſupervenit cauſſa confirmans, atque ſufficiens ad inducendum titulum juſtæ, ac legitimæ poſſeſſionis; videlicet vel conſenſus Epiſcopi, vel beneficium completæ præſcriptionis ſuppoſita bona fide; adeoque ſtatutum illius Decretalis non apponitur præſenti regulæ.

R E G. XIX.

Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex c. *Culpa eſt 36.* ff. de diverſis reg. Juris, & ex C. *Tua 19. de homicidio, &c.* ex quo caſus figurari poteſt. Titius Monachus peritus in arte Chirurgiæ operationem chirurgicam exercuit in infirmo, cauſſa pietatis; & adhibuit omnem diligentiam, ne quid mali obveniret infirmo, unde & infirmo præcepit, quæ neceſſaria erant, ut operatio illa ſuum effectum haberet. Accidit autem contra Monachi mentem, ut infirmus ex illa operatione moreretur, quia infirmus præcepta Monachi non ſervavit. Quæſitum utrum in tali caſu Monachus ille irregularitatem incurriſſet? Reſponſum eſt affirmative: quia quamvis ea mors ſecuta eſſet contra ejus intentionem, & conſilium, omnemque diligentiam pro ea cavenda adhibuerit; attamen non fuit ſine culpa; quia ſe immiſcuit exercitio Chirurgiæ, quæ ad ipſum non pertinebat. Item poni poteſt caſus ex c. *Clerico* 38. diſt. 50. Titius Clericus projiciens lapidem, vel ſagittam, præter intentionem interfecit hominem tranſeuntem. Numquid cenſendus eſt irregularis? Reſponſum eſt affirmative, quia projectio illa lapidis, vel ſagittæ non competebat ſtatui clericali, & ſic fuit in culpa, quæ præceſſit homicidium.

2 Statutum hujus regulæ ſe extendit etiam ad eos, qui artem aliquam profitentur, cujus

ſuf-

ſufficientem peritiam non habent, ut, pluribus relatis, tradit Barb. ad hanc regulam n. 2. & ſic Medicus imperitus tenetur de damno ſecuto ex ſua operatione, tamquam culpabilis, & aliquando etiam puniri poteſt, ut tradunt communiter Doctores in c. *ad aures 7. De ætate, & qualit. &c.* Idem juris eſt in Judice, qui per imperitiam inique judicet, in Præfecto navis, qui per imperitiam artis nauticæ naufragio navem exponat, & ſic de aliis ſimilibus. Ratio iſtorum omnium eſt: quia ea dicuntur ad aliquem non pertinere, quæ eidem repugnant, ſeu non conveniunt, vel ratione perſonæ, vel ratione ſtatus, vel officii, vel etiam ratione alicujus circumſtantiæ, per quam reddatur ad ea ineptus, quia nemo attentare ea debet, in quibus, vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem ſuam aliis periculoſam futuram, ut dicitur in l. *Idem Juris* §. 2. ff. *ad leg. Aquiliam*.

R E G. XX.

Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

1 HÆc reg. ſumpta eſt ex l. *Nemo ex his* 43. ff. *de div. reg. juris*, & ex l. *Nemo* 8. ff. *de Exceptione*. Caſus figurari poteſt ex cap. *Auditis* 15. *de præſcriptionibus*. Cauſſa vertebatur inter Epiſcopum quemdam & Abbatem ſuper quadam Eccleſia, quam Epiſcopus contendebat eſſe ſibi ſubjectam, idque petebat definiri per Judices deputatos. Abbas ex altera parte tueri ſe volens in poſſeſſione ejuſdem Eccleſiæ, exceptionem oppoſuit, aſſerendo ſe habere privilegia antiqua donationis factæ ſuo Monaſterio

exempto a juriſdictione Epiſcopi. Item oppoſuit, quod etiamſi nullum tale privilegium habuiſſet, attamen ejuſdem Eccleſiæ legitimam poſſeſſionem longiſſimo tempore præſcripſerit, adeoque quod non eſſet ea poſſeſſione privandus. In hoc caſu Abbas ille duabus defenſionibus uſus eſt, inter ſe diverſis, quia ſi per privilegium conceſſum poſſidebat Eccleſiam; non erat ei neceſſaria præſcriptio. Propter hoc dubitatum fuit, utrum Abbas admittendus eſſet ad probandam utramque exceptionem, itaut ſi in unius probatione deficeret, poſſet recurrere ad probationem alterius. Reſponſum eſt affirmat. ab Innoc. III. propter hanc regulam, in qua permittitur Reo pluribus defenſionibus ſe tueri.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ deſumitur ex æquitate, juxta quam cauſſa defenſionis eſt favorabilis, ex l. *favorabiliores* 147. ff. *de diverſis reg. Juris*. Ex quo etiam facile difficultas ſolvitur, quæ hic in contrarium proponi ſolet petita a paritate actoris, cui a lege non permittitur uti pluribus actionibus, ut patet ex cit. l. *Nemo ex his* 43. ff. *de diverſ. regulis Juris*. Diſparitas enim eſt: quia cauſſa defenſionis, quæ Reo competit, eſt favorabilior, quam cauſſa actionis competens actori; cum præterea præſumatur actor accedere ad Judicem magis inſtructus de ſuo jure, quam præſumatur Reus, qui invitus trahitur ad judicium, adeoque eſt condonabile Reo, ſi non omnino certus de fundamento ſui juris, cujus conſervationi ſtudet, plures titulos ad cautelam multiplicat, quarum unus ſi inſufficiens ſit, ſubſtituatur alius: quæ ratio non æque militat in actore circa actionem proponendam; quia

in

in libertate ejus erat accedere, vel non accedere ad judicium, & antequam accederet, poterat, & debebat ſe certificare, quodnam genus actionis ſibi competeret contra reum, quem trahit ad Tribunal Judicis.

3 Ex his etiam ſolvitur difficultas, quæ hic proponitur contra præſentem regulam, petita ex l. 3. *Ex pluribus* ff. *de acquirenda poſſeſſ.* & ex *inter dilectos 6. de fide inſtrument.* ubi habetur non poſſe ejuſdem rei dominium pluribus ſimul titulis ab eodem haberi, ita ut v. gr. quod tuum eſt ex aliqua cauſſa, vel titulo, fiat ſimul tuum ex alia cauſſa. Hinc enim videtur inferri, quod Reus in judicio pro conſervatione ſui juris non poſſit ſimul titulos defenſionis multiplicare; nam multiplicando titulos, declararet, ſe pluribus titulis habere dominium rei, pro qua vocatus eſt ad judicium; hoc autem eſt impoſſibile, Sed facile reſpondetur falſum eſſe, quod Reus multiplicando titulos declaret ſe pluribus titulis habere dominium rei: in tantum enim multiplicat titulos, in quantum non eſt ſatis certus, utrum unus ſit efficax, & propterea plures ad cautelam adducit, ut ſi unus non probetur, ſubſtituatur alius, adeoque multiplicat quodammodo conditionaliter, & disjunctive. Inde eſt, quod Reus poteſt etiam pro ſe proponere plures defenſiones inter ſe contrarias, quæ ad eumdem finem tendant, ut docet Gloſs. ad hanc regul. cum non proponantur, niſi conditionate, & disjunctive. Quod tamen eſt intelligendum, dummodo, vel implicite, vel explicite aliquibus non renuntiaverit, ut eſt exemplum in cap. *Veniens 19. de Præſcript.* ubi quidam Reus, cum prius propoſuiſſet pro defenſione

ſui

ſui juris conceſſum ſibi privilegium, & poſtea vellet proponere beneficium præſcriptionis ſuper hac ſecunda exceptione, auditus non fuit; quia qui impetrat, & proponit privilegium ſibi conceſſum a Principe, renuntiare videtur beneficio præſcriptionis. Item prædicta intelligenda ſunt, dummodo non ita directe ſibi invicem adverſentur defenſiones illæ, ut quod ponitur in una, nec conditionaliter poni poſſit in altera, quin reus convincatur de mendacio, ſub quo genere plures particulares defenſiones prohibitæ ſunt, ſimul proponi per jura civilia, ut videre eſt apud Gloſs. in hac reg. & apud Gloſs. in l. *Nemo ex his* 43. ff. de diverſis reg. Juris v. *Nemo*.

R E G. XXI.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

1 Deſumitur ex l. *ſicut* 5. *C. de Obligationibus, & actionibus* ex c. 1. *de Judiciis*, aliiſque juribus; unde caſus ita formari poteſt. Titius conventus fuit ſuper aliqua cauſſa coram Judice, quem recuſare poterat, ut ſuſpectum; ſed interrogatus de hoc ipſo, utrum vellet ipſum admittere, vel recuſare, reſpondit, quod quamvis haberet juſtam cauſſam recuſandi, attamen confidens de legalitate, & juſtitia ejuſdem Judicis, eum non recuſabat. Poſtea pœnitentia ductus, voluit iſtum recuſare abſque alia cauſa ſuperveniente, ſed tantummodo propter illa motiva, propter quæ potuerat ab initio recuſare. Quæſitum fuit utrum illa

la recuſatio admittenda eſſet tamquam legitima? Reſponſum eſt negative in eodem c. 1. *de Judiciis*, quod enim ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. Item caſus poni poteſt ex cap. *Dilectiſſimi* 2. 8. q. 2. in electione, pro qua Electorem libertatem habent eligendi, quem idoneum judicaverint: poſtquam tamen elegerint aliquem idoneum, non poſſunt ab electione jam facta reſilire, ſuumque ſuffragium alteri dare, & ſic de aliis pluribus, quæ fuſe hic indicantur a Gloſsa.

2 Hęc regula locum habet, tum in electionibus, ut modo dictum eſt, tum in judicialibus; unde Reus, ſuppoſito, quod Judicem acceptaverit, non poteſt illum, niſi ex cauſſa ſupervenіente, recuſare, & ipſe Judex poſtquam ſententiam definitivam tulit, nequit illam corrigere, vel mutare, ex l. *quod Juſſit*. 14. ff. *de re judicata*. Niſi tamen ſententiam tulerit ipſo jure nullam, in quo caſu Judex Ordinarius poteſt iterum judicare, quia juxta regulam infra explicandam, quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi; ſecus autem Judex delegatus, ut tradit Gloſs. in l. *Judex* 55. ff. *de re judicata*, & expreſſe habetur in l. *Si ut proponis* 4. C. *quomodo, & quando Judex*; ſumiturque etiam ex C. *Si Compromiſſarius* 37. §. *Si vero eligat* De Elect. in 6. Dixi *poſtquam ſententiam definitivam tulit*; hoc eſt eam ſententiam, quæ principalis cauſſæ quæſtionem definit; ſecus enim accidit circa ſententiam mere interlocutoriam, quo nomine a Juriſtis intelligitur ea ſententia, quæ inter principium, & finem cauſſæ principalis pronuntiatur ſuper aliquo incidenti; eam enim Judex revocare poteſt, etiam nemine petente, ex cap.

Cum

Cum ceſſante 60. *De appellationibus*; ubi videndi Doctores, quoad aliquos caſus exceptos, & inter reliquos Panorm. ibid. n. 11.

3 Item præſens reg. locum habet in Contractibus, præſertim in iis, qui dicuntur contractus nominati, a quibus neuter contrahens pro arbitrio ſuo reſilire poteſt, altero invito, ſed tantummodo ſi etiam alius conſentiat, in quo caſu locum habet alia reg. juris, alias explicata; *Omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur;* excepto Matrimonio, ut ib. explicatum eſt. In contractu tamen Depoſiti, in contractu Societatis, in contractu Mandati, licitum eſt pœnitere, ut conſtat ex l. 1. §. pen. ff. *Depoſiti*, ex l. *Sed & ſocius* 17. §. 2. ff. *pro Socio*, ex Inſtit. *De Mandato* §. *recte*, & ex c. 2. & penult. *de Procurat. in 6.* quod intellige ſi res integra ſit, ſeu non inceperit intereſſe alterius partis. Idem dic regulariter in contractibus, quos innominatos appellant, a quibus contrahens re integra reſilire poteſt, ut traditur a Juriſtis in l. *Si pecuniam* 5. ff. *de conditione cauſſa data*, *&c.* Item in Sponſalibus contractis per verba de futuro, quæ ſi non licite, ſaltem valide diſſolvuntur per ſponſalia contracta cum alia per verba de præſenti, ex c. *Si inter* 31. *de Sponſalibus*. Demum, aliis prætermiſſis, idem dic de teſtamento, quod mutari poteſt uſque ad ſupremum vitæ exitum, ut ſumitur ex c. *Cum Marthæ 6. de celebrat. Miſſarum*, & ex l. *Quod ſi iterum* 4. ff. *de adimendis, vel transferendis legatis*.

4 Ratio iſtarum, aliarumque ſimilium exceptionum fundatur in defectu alicujus ex iis 4. conditionibus, quas hic enumerat Gloſs. tam-

quam

quam neceſſarias ad regulam, quarum aliqua deficiente id, quod ſemel placuit, diſplicere poteſt, & aliquando etiam debet.

5 Prima conditio eſt, quod placitum non ſit improbatum a jure, ex cujus conditionis defectu pactum illicitum, quod ſemel placuit, poteſt, ac debet diſplicere, atque reſcindi, ut conſtat ex cap. fin. aliiſque pluribus *de pactis*.

6 Secunda conditio eſt, quod id, quod placuit, ſcienter placuerit, & non ex errore probabili, ſeu ex probabili ignorantia facti, ut eſt exemplum in c. fin. *de Solutionibus* in eo, qui per errorem ſolverit pecuniam indebitam, & in l. *ſi per errorem* 15. ff. *de Juriſdict. omnium Judicium*: ubi dicitur, quod ſi duo litigantes inter ſe convenerint, ut lis cognoſcatur a Judice, quem falſo putabant eſſe competentem pro illa cauſa, eorum conſenſus validus non fuit, & reſcindi poteſt, ac debet; cujus rei ratio ibidem aſſignatur, quia *non conſentiunt, qui errant* (ſcilicet in facto, ut notat Gloſſa) *Quid enim tam eſt contrarium conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit?*

7 Tertia conditio eſt, ut id, quod placuit, non placuerit ſola mente, ſed placitum aliquo actu externo manifeſtatum fuerit, puta verbis, vel factis. Quod tamen intelligendum eſt, quoad contrahendam obligationem civilem cum homine: obligatio enim in ordine ad Deum etiam ſola mente contrahitur.

8 Quarta demum conditio eſt, ut alterius interſit, quod placitum obſervetur, ad quod etiam facit alia reg. juris infra explicanda. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum*, & regul. 75. ff. de diverſis regul. juris,

rls. *Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.*

REG. XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

1 DEſumitur ex l. *non debet* 74. ff. de diverſ. reg. Juris; & ex l. *factum* 197. ff. eodem. Caſus poni poteſt ex c. *Si Compromiſſarius* §. *Si vera eligat* de elect. in 6. Capitulum, cui competebat jus eligendi conſtituit Titium Compromiſſarium, ita ut quem Titius eligeret omnes eſſent acceptaturi. Accidit Titium ſive ſcienter, ſive etiam ignoranter elegiſſe indignum, adeoque feciſſe electionem invalidam. Quæſitum fuit, utrum pro ea vice poteſtas eligendi devolveretur ad Superiorem, puta ad Epiſcopum, aut Summum Pontificem, vel utrum reverteretur ad Capitulum, itaut eſſet in poteſtate Capituli procedere ad aliam electionem? Reſponſum eſt, reverti ad Capitulum, quia non debet Capitulum odio Titii prægravari, niſi tamen idem Capitulum ſcienter ratam habuerit electionem a Titio factam, quia tunc etiam Capitulum eſſet in culpa. Item caſus proponi poteſt ex leg. *ſi quis ſuo* 33. C. *de inoffſicioſo Teſtamento* verſus finem, ubi corrigitur lex antiqua, per quam matri permittebatur exheredare filium ſuum odio mariti; atque decernitur, ut id amplius fieri non poſſit, ne filius abſque culpa ſua, & ſolum alieno odio prægravetur.

2 Fundamentum hujus regulę eſt ęquitas naturalis quæ petit, ut unus non gravetur odio alterius, hoc eſt, ut damnum non patiatur in

odium

odium alterius, in qua naturali æquitate fundatur etiam alia juris regula infra explicanda. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare*, propter quod etiam in jure civili ſtatutum fuit, ut ſi aliquis Abbas, vel Epiſcopus habens feudum a Principe, illud perdat ex aliqua culpa, non debeat exinde detrimentum in Eccleſiam redundare; ſed poſt mortem ejus Epiſcopi revertatur feudum ad Succeſſorem, ut videre eſt in lib. feud. de *Capitulis Corradi*, l. *item ſi Clericus*.

3 Iſta tamen intelligenda ſunt, quando unus nihil contulit ad factum alterius, unde ex eodem facto detrimentum pati debeat. Pluries enim contingit factum unius cenſeri per fictionem juris factum alterius, in quo caſu ſi factum illud ſit cauſſa alicujus gravaminis, vel damni, prægravat etiam alterum. Exemplum habes in eo, qui aliquod factum damnoſum fieri mandavit, vel ratum habuit: qui enim facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum, quæ eſt reg. juris infra explicanda; adeoque ſi aliquod damnum ex facto patitur, patitur quodammodo ex facto ſuo. Ex qua ratione procedit, ut negligentia, vel dolus, vel aliud factum procuratoris, proſit, vel noceat principali in quantum fines mandati patiuntur, ut notat Gloſs. ad hanc regulam ex pluribus juribus ab ipſa citatis. Idem proportionaliter dic de herede, qui gravatur pro defuncto, de fidejuſſore, qui gravatur pro principali, & ſic de aliis ſimilibus.

4 Rurſus notandum eſt, præſentem regulam intelligendam eſſe quoad auctoritatem privatam, ita ut ſcilicet privata perſona non poſsit auctoritate ſua alteri damnum inferre ex odio

alte-

alterius; ſecus enim videtur auctoritate publica, ex qua unus puniri nonnumquam poteſt pro alio, ut notat Decius in l. *non debet* 74. ff. de reg. juris, at explicabitur in regula ſequenti.

R E G. X X I I I.

Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus.

1 Deſumitur ex c. *Cognoſcentes* 2. *de Conſtitutionibus*; ex c. *Satis perverſum* 7. diſt. 56. ex l. *ſi putator* 30. ff. *ad legem Aquiliam*, aliiſque juribus. Caſus poni poteſt ex c. *Cum voluntate* 54. *de ſententia excommunicationis*. Titius cum excommunicato locutus eſt de his, quę ad abſolutionem, vel alias ad ſalutem animæ pertinebant, eaque occaſione etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficeret, interpoſuit. Quęſitum eſt, utrum excommunicationem incurrerit propter ejuſmodi communicationem cum excommunicato? Reſponſum eſt negative: quia ubi culpa non eſt, neque cauſſa puniendi, ibi nec locus pœnæ.

2 Hæc regula duas continet partes: Prima eſt; neminem ſine culpa puniri debere; altera eſt per modum exceptionis, poſſe aliquem puniri aliquando ſine culpa, quando intervenit juſta cauſſa. Ratio primæ partis clara eſt: quia crudelitatis, & injuſtitię eſſe videtur punire innocentem abſque ulla cauſſa, unde in c. c. 7. diſt. 56. dicitur eſſe ſatis perverſum, & contra Eccleſiaſticam cenſuram, ut filius ſpolietur officio, vel beneficio ſuo abſque ulla ſua culpa, ſed tantummodo propter peccata parentum.

3 Quod

3 Quod autem attinet ad alteram partem regulæ, in qua dicitur poſſe aliquem nonnumquam puniri ſine culpa, quando intervenit juſta cauſſa: notandum eſt, cauſſam ejuſmodi poſſe eſſe aliquando exigentiam aliquam boni publici, quod petat etiam pęnam ad innocentem extendi, ut contingit v. g. quando innocens ſpeciali aliqua ratione pertinet ad delinquentem, & conſideratur quaſi res ejus; ſicut filius reſpectu Patris, ſubditus reſpectu Superioris; in quo caſu contingere poteſt, ut Pater delinquens condigne non puniretur, niſi etiam puniretur aliquo modo etiam in rebus ſuis, adeoque, & in filio: unde hoc ipſum petit utilitas publica, quæ exigit ut delicta ſint condigne punita. Præterea idem contingere poteſt, quando pœna ſolius delinquentis non eſſet ſufficiens medicina culpæ, ſed opus ſit eam applicare etiam partibus proximioribus, ut magis affligat delinquentem, eique citius medeatur, tum etiam ut proſit partibus ipſis, in quibus ex proximitate periculi, atque exempli magis timetur delictum, ut ſumitur ex l. *quiſquis* 5. §. *Filii C. ad legem Juliam Majeſtatis*.

4 Notandum tamen hic eſt id non intelligi de omni, & quolibet genere pœnæ, ut etiam notat D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. ubi diſtinguit inter pœnam mere ſpiritualem, hoc eſt, quæ directe concernat animæ ſalutem, & inter pœnam temporalem. Pęna mere ſpirituali nemo punitur pro peccato alterius. Ratio eſt: quia quoad animam nemo conſideratur, ut pars alterius, & propterea in cap. *Si habes* 1. 24. quæſt. 6. dicitur pro peccato Patris non eſſe filium excommunicandum, & ex proportionali ratio-

ratione in cit. c. *Satis perverſum* 7. diſt. 56. habetur, non eſſe filium ſpoliandum officio, vel beneficio ſuo abſque ulla ſua culpa, tantummodo propter peccata parentum, quia etiam beneficia, & officia Eccleſiaſtica ſunt Jura ſpiritualia. Secus accidit in pęna temporali, qua puniri nonnumquam poteſt unus pro alio, vel quia unus cenſetur quaſi res alterius, ut dictum eſt; vel quia crimen unius derivatur aliquo modo etiam in alium &c. Videri poteſt S. Th. in l. c.

R E G. X X I V.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. *Non videntur* 127. §. *Qui juſſu ff. de diver. reg. Jur.* Exemplum ſumi poteſt ex l. *Si ſtipulatus* 81. §. *Si lancem* ff. de Solutionibus. Titius reliquit apud te depoſitum, & poſtea, relictis pluribus heredibus, mortuus eſt. Unus, vel alter ex illis heredibus repetit depoſitum. Tu ut tuæ ſecuritati magis conſulas, interrogas Judicem, utrum illi petenti reſtituere debeas, qui reſpondet tibi, & præcipit, ut reſtituas. Poſt factam reſtitutionem, alii coheredes conveniunt te, ut vel ipſis reſtituas, vel ut puniaris de dolo; eo quod cum eſſes obligatus omnibus reſtituere, uni tantum reſtituiſti. Numquid ita de dolo puniendus eris ad eorum petitionem? Reſponſum eſt negative: quia reſtitutio illa facta fuit a te mandato Judicis; quod autem fit mandato Judicis non pręſumitur fieri ex malo dolo. Item caſus poni poteſt ex c. *Si Clericos* 15. de ſent. excom. in 6. Quidam

dam Epiſcopus præcepit Laicis, ut Clericum criminoſum caperent, & ad ſe adducerent, atque ita per ipſos Laicos factum eſt. Numquid iidem Laici dicendi erunt incurriſſe ſententiam excommunicationis? Reſponſum eſt negative, quia ſcilicet mandato licito Epiſcopi obtemperaverunt, atque ita obtemperando non fuerunt in dolo, ſeu in animo machinandi damnum Clerico.

2 Hæc regula procedit in iis, quę ceteroquin ſi fierent a privata perſona cum auctoritate privata, continerent aliquid illiciti; ſecus autem ſi fiat cum auctoritate Superioris, in quo caſu excuſantur; & non præſumuntur facta ex dolo, ſeu ex animo machinandi, aut nocendi alteri; immo potius eſſet culpabile non obtemperare mandato Superioris, juxta reg. 159. ff. de diverſis reg. Jur. *Non poteſt dolo carere, qui imperio magiſtratus non pariat.*

3 Notandum tamen hic eſt, id non eſſe univerſaliter omnino, & pro qualibet circumſtantia intelligendum. Si enim contingat Judicem aliquid præcipere, quod ſit notorie injuſtum, atque prohibitum per legem Divinam, vel humanam tunc obligantem, non propterea Subditus obtemperans excuſaretur, quia jure cenſeretur ſuæ culpæ prætexere mandatum Superioris, quod eo tempore nullum eſt, cum non obliget. Exemplum habes in cap. *Univerſitatis* 24. de ſent. excomm. ubi Clemens III. interrogatus utrum laicus quidam incidiſſet in excommunicationem, eo quod ad juſſionem Abbatis, in cujus ſervitio commorabatur, Clericum, vel Monachum verberaverat; reſpondit, incidiſſe tam præcipientem, quam Laicum obtemperantem, quia ſcilicet tale mandatum fue-

rat

rat injuſtum, & de jure non obligans. Ratio iſtorum eſt: quia ubi Deus, vel Princeps aliquid præcipit, vel prohibet, potius illi obtemperandum eſt, quam inferiori Judici, vel Domino aliquid contrarium præcipienti, ex qua ratione deducitur, quod nec excuſetur Subditus obediens Principi in iis, quæ ſunt contra Deum, ut deſumitur ex cap. *Julianus* 91. cap. *qui reſiſtit* 94. ex cap. *Imperatores* 95. can. XI. quæſt. 3. ad quod etiam facit quod in libro Actuum Apoſtolorum narratur Petrum, & Joannem dixiſſe: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum judicate.*

R E G. X X V.

Mora ſua cuilibet eſt nociva.

1 HÆc regula deſumpta eſt ex l. *in condemnatione* 133. §. *Unicuiq;* ff. de reg. Juris: l. *Emptor* 2. ff. *de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*, aliiſque juribus. Exemplum ſumi poteſt cap. unico *de condemnato*, & ex cap. *Bona fides* 2. *de Depoſito*. Titius commodavit tibi, vel depoſuit librum uſque ad certum tempus pro uſu tuo. Lapſo eo tempore requiſivit te; & interpellavit, ut librum reſtitueres: tu autem injuſte, & indebite diſtuliſti reddere, & ſic fuiſti in mora reſtituendi. Interim liber caſu fortuito, & abſque tua culpa periit, vel furto ablatus tibi eſt. Numquid ſolutus es ab omni obligatione reſtituendi, ſicut ſi non fuiſſes in mora, & nulla tua culpa interveniſſet, vel obligatus es reſtituere ſaltem æſtimationem libri? Reſponſum eſt a Greg. IX. te eſſe obligatum

tum ad reſtitutionem, quia fuiſti in mora reſtituendi, & tua mora debet eſſe tibi nociva. Item caſus poni poteſt in fure, qui ſemper eſt in mora reſtituendi; unde ſi res furtiva, aut vi poſſeſſa pereat, perit in damnum ejuſdem; adeoque tenetur ęſtimationem ſolvere, ut ſumitur etiam ex l. *Subtracto* 9. *C. de furtis*.

2 Pro intelligentia regulę notandum eſt, nomine morę hic intelligi culpabilem tarditatem in aliqua re pręſtanda damnoſam alteri, ut colligitur ex l. *Mora fieri* 32. ff. *de Uſuris*, juncta Gloſs. ibid. qua ratione debitor injuſte differens ſolutionem debiti intra tempus ſtatutum dicitur eſſe in mora ſolvendi, & ſic de aliis ſimilibus. Jam vero ut ea tarditas ſit culpabilis, adeoque tardans dicatur moroſus, opus eſt ut ſciat, ſe debere, vel ſcire debeat, ut interpellatus fuerit a die, vel ab homine, & ut habeat poſſibilitatem dandi, ſicut explicat Gloſs. ad hanc reg. & ſumitur ex l. *quod ne* 5. ff. *de rebus creditis*.

3 Ex hac explicatione moræ facile deducitur ratio præſentis regulę. Cum enim mora ſit culpabilis, æquum eſt, ut potius ſit nociva moroſo delinquenti, quam alteri; ut puta ſi res furtiva pereat caſu fortuito in domo furis, æquum eſt, ut pereat potius in damnum furis, qui peccavit committendo furtum, & reſtitutionem differendo, quam in damnum alterius, contra quem commiſſum eſt furtum; & propterea reſtitui debet res ſaltem in æſtimatione, ſimulque cum ipſa reſtituendi ſunt fructus rei, & compenſandum omne damnum, quod ex culpabili tarditate moroſi cauſſatum eſt alteri.

4 Dices: mora Rei, ſeu debitoris principalis

nocet fidejuſſori, ut conſtat ex l. *Mora rei* 88. ff. *de Verb. obligationib.* ergo falſum eſt, quod mora ſit tantum nociva moroſo.

5 Reſpondetur fidejuſſorem, quoad obligationem, quam contraxit pro debitore principali, cenſeri per fictionem Juris eumdem cum debitore principali, ejuſque obligationem eſſe acceſſoriam obligationi principalis, ex §. *Fidejuſſoribus*. Inſtit. *de fidejuſſoribus*. Non eſt igitur contra regulam, quod mora debitoris principalis noceat aliqualiter etiam fidejuſſori: quod idem ex ſimili ratione dicitur de mora Tutoris, quæ nocet Pupillo, de mora, quam habuit Defunctus, quæ nocet heredi, & ſic de reliquis.

6 Dixi *noceat aliqualiter*, quia notant Doctores ex l. ult. ff. *de fidejuſſorib.* moram debitoris principalis nocere fidejuſſori, quoad ſolutionem illam principalem, pro qua fidejuſſit, non autem quoad argumentum, ſeu intereſſe ſolvendum ultra debitum principale, ad quod tenetur Reus ratione moræ; niſi tamen fidejuſſor in omnem cauſſam, & etiam in moram pro quolibet intereſſe Creditoris fidejuſſerit. Ratio eſt: quia fidejuſſor cenſetur idem ac Reus per fictionem Juris in hac re, quatenus præciſe ſe obligavit, non autem in his, in quibus ſe non obligavit; adeoque in iſtis, in quibus ſe non obligavit, non cenſetur mora debitoris principalis eſſe mora fidejuſsoris, & conſequenter non eſt eidem nociva. Ita tradit Decius, aliique Auctores in l. *In condemnatione* 133. §. *Unicuique* ff. de reg. Juris atque ita etiam reſolvit Gloſs. in l. *Sive in duplum* 3. ff. qui ſatiſdare cogantur.

7 Idem cum proportione dicendum eſt pro caſu,

caſu, in quo duo ſemel ſe obligaverunt alicui tertio ad aliquod præſtandum intra certum tempus, eoque elapſo unus illorum duorum ſit in mora, in quo caſu dicitur in l. penult. ff. *de duobus reis*, moram illius nocere etiam Socio, quod intelligendum eſt in ordine ad effectum continuandæ obligationis, quam ab initio ſimul contraxerunt, & ſecundum quam cenſentur quaſi unus, & idem; non autem quoad augumentum obligationis.

8 Alia plura circa moram, modumque illius contrahendæ, atque purgandæ ſi quis cognoſcere velit, conſulat Giball. lib. 2. *de Uſuris* cap. 6. per totum.

R E G. X X V I.

Ea, quæ fiunt a Judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.

1 HÆc regula ſumpta eſt l. *factum* 130. ff. de reg. Juris, quæ talis eſt: *Factum a Judice, quod ad ejus officium non pertinet, ratum non eſt*. Caſus proponi poteſt ex c. *quæ in Eccleſiarum* 7. & c. *Eccleſia S. Mariæ* 10. de Conſtit. Princeps quidam Laicus ſtatutum fecerat de rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis: numquid tale ſtatutum validum fuit? Reſponſum eſt negative ab Innoc. III. etiamſi ſtatutum illud ceteroquin reſpexerit commodum, vel favorem Eccleſiarum, niſi tamen ab Eccleſia fuerit acceptatum, & approbatum. Cum enim Laicis nulla ſit attributa facultas ſuper Eccleſiis, aut Eccleſiaſticis perſonis, eoſdemque obſequendi maneat neceſſitas, non auctoritas imperandi, ut dicitur

in cit. cap. *Eccleſia S. Mariæ*; conſequenter ſi aliquid tale attentaverint ſuper Eccleſiis, aut Eccleſiaſticis perſonis, actum exercent ad eorum officium non ſpectantem: quę autem fiunt a Judice, ſi ad ejus non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt. Ex eadem quoque ratione ſunt invalidi actus illi, quos contingat exerceri ab aliqua perſona Eccleſiaſtica, puta ab Epiſcopo, non habentem poteſtatem ad ipſos, ut puta ſi in iis caſibus, in quibus de Jure communi poſſet tantummodo concedere 40. dies indulgentiarum, concedat 100. dies, talis conceſſio nulla eſt, juxta textum expreſſum in c. fin. *de pœnit. & remiſs. in 6.* juncto Cod. *Cum ex eo* 14. eod. tit. in Decretal. antiquis; Et ſic de aliis ſimilibus.

2 Ratio hujus regulæ clara eſt: quia ſcilicet tota validitas actuum, qui fiunt a Judice, fundatur in poteſtate, vel juriſdictione quam habet: Ergo ubi ceſſat poteſtas, ſeu juriſdictio, ceſſat etiam actuum validitas. Et quemadmodum ſi Judex judicare velit extra ſuum territorium, invalide judicat, quia extra territorium juriſdictionem non habet; ita pariter ſi judicare velit de iis, quæ ſunt ſupra ſuam juriſdictionem: & ita habetur expreſſe etiam in l. fin. ff. de juriſd. omnium Judicum.

3 Hęc regula intelligenda eſt potiſſimum pro iis actibus, quos notorie conſtat eſſe extra limites poteſtatis juriſdictionis. In aliis enim actibus, de quibus dubitari poteſt, utrum ſint extra tales limites, nec ne, ſolet præſumi pro Judice, ad quem etiam ſpectat illud ipſum examinare; unde quamdiu contrarium non probetur, reputantur actus validi, ut tradit Barboſa cum Gloſs. ad hanc reg. in fine.

4 Di-

4 Dices: ſi Epiſcopus conſecret in aliena Diœceſi Eccleſiam, vel Altare, aut ordinet alienum Subditum, conſecratio illa, aut ordinatio valida eſt, etiamſi ad ejus Officium non ſpectet, & fiat intra limites juriſdictionis: ergo falſum eſt viribus non ſubſiſtere actus factos a Judice extra limites juriſdictionis ſuæ.

5 Reſpondetur actus hujuſmodi dependere potius a poteſtate Ordinis, quam Juriſdictionis, & propterea validi eſſe poſſunt, etiamſi fiant in aliena diœceſi, aut circa alienum Subditum, quamvis ſint etiam illiciti, & juſte puniti per Canonicas Sanctiones, ut videre eſt in c. *quod translationem* XI. *de temporibus Ordinationum*, cap. *Epiſcopus in Diœceſi* 29. 7. q. 1. & alibi.

R E G. X X V I I.

Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. *Nemo videtur* 187. ff. de reg. Jur. ubi dicitur: *nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt, & conſentiunt*; & ex aliis Juribus. Caſus poni poteſt ex l. 1. ff. *de Actionibus Empti, & Venditi*. Emiſti a Titio domum ſciens eamdem eſse ſubjectam alicui ſervituti, puta ut non poſſit altius attolli, aut alteri ſimili ſervituti. Emptor autem eam ſervitutem tibi non declaravit, quia certo ſciebat, te eſſe de eadem informatum. Numquid potes agere contra Venditionem, eo quod rem tibi vendiderit ita ſubjectam ſervituti? Reſponſum eſt negative: quia nulla injuria, nulluſque dolus contra te commiſſus eſt, quia ſciebas

ipſam ſervitutem, & tunc tali ſcientia conſenſiſti in contractum Emptionis: ſcienti autem, & conſentienti, neque fit injuria, neque dolus. Aliud quoque exemplum ſumi poteſt ex cap. *Si quis ingenuus* 4. & c. *Si femina* 5. cau. 29. q. 2. Titius ſciens quamdam mulierem eſſe ancillam alterius, duxit eam in uxorem: aut e converſo femina ſciens Titium eſſe ſervum alterius conſenſit eum habere in Conjugem, & de facto Matrimonium contraxit. Numquid poſtea prętextu conditionis ſervilis poteſt in utroque caſu attentari diſſolutio Matrimonii? Reſponſum eſt negative: quia ſciens eam circumſtantiam, uterque conſentit, adeoque nemini vel dolus, vel injuria facta eſt.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ eſt: quia etiamſi aliquod jus tibi competeret contra aliquam actionem, attamen eo ipſo quod eidem actioni ſciens, & volens conſentis, cenſeris cedere juri tuo: dolus autem, & injuria proprie non intervenit, ubi nullum jus lęditur.

3 Dixi *ſciens, & volens conſentis*, utrumque enim copulative requiritur ad excludendam injuriam, ut notat Gloſs. ad hanc reg. ex iis verbis: *Scienti*, & *conſentienti*. Si enim ſcias tantum, & non conſentias, injuriam pateris; item ſi conſentias, ſed neſcias, ideſt non vere intelligas, ut exemplum eſſe poteſt in furioſis, aut pupillis, quorum ætas quid videat ignorat, ut dicitur in l. 1. C. *de falſa moneta*; & ſic de reliquis.

4 Notandum pręterea eſt, regulam iſtam procedere pro iis caſibus, in quibus ſciens conſentire poteſt, eo quod agatur tantummodo de jure, vel injuria ipſius propria. Ex hujus condi-

tionis

tionis defectu, injurioſa dicenda eſt verberatio, aut manuum injectio in Clericum, etiamſi Clericus ſciat, & conſentiat, ut conſtat ex c. *Contingit* 35. de ſentent. Excom. quia ſcilicet Canon ejuſdem verberationis prohibitivus non tam in privatum favorem Clerici, quam in favorem Ordinis Clericalis promulgatus fuit, unde in eodem cap. *Contingit*, prohibetur graviter Clerico ſub pœna excommunicationis, ne ſponte ſe ſupponat verberationibus ad compenſandam hoc modo offenſam contra alium commiſſam.

5 Idem cum proportione dicendum eſt, quando non minus Reipublicæ, quam privatæ perſonæ ſpecialiter intereſt aliquam actionem non fieri; in quo caſu actio illa non purgatur per ſcientiam, & conſenſum ejuſdem privatæ perſonæ. Hujus rei caſus ſingularis eſt in l. *Si quis Servo* 20. C. *de furtis, & ſervo corrupto*. Si quis ſuaſerit alieno ſervo, ut aliquam rem Domini ſurriperet, & ad ſe deferret; ſervus autem hoc Domino manifeſtaverit, & Domino conſentiente rem illam ipſius Domini pertulerit ad iniquum eumdem Suaſorem; in tali caſu res illa delata eſt ad iniquum Suaſorem ſciente, & conſentiente Domino, & tamen hoc non obſtante decernitur in illa lege, ut ille Suaſor puniatur tamquam fur & tamquam corruptor ſervi. Ratio hujus eſt, quam indicavimus; quia ſcilicet publicæ utilitatis intereſt, ne impune poſſint talia in ſervis alienis committi, ex quibus valde periclitaretur humana fides, & nec de ſuis domeſticis poſſet quis eſſe ſecurus.

REG. XXVIII.

Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. *Quod contra* 183. ff. de reg. Jur. quæ ſic habet: *quod contra rationem Juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam*; ad quod etiam facit textus in l. *Quod vero* 14. ff. *de Legibus*, c. *Sane* 9. *de Privilegii* cap. *quanto* 3. *de Judiciis*, aliiſque Juribus, unde caſus multipliciter figurari poteſt. Titius Laicus ex conceſſione Eccleſiæ habet jus patronatus ſuper aliquo beneficio, ſeu jus pręſentandi Clericum. Naſcitur ſuper eodem beneficio aliqua controverſia. Numquid eidem poteſt ſe immiſcere Patronus, tamquam Judex, quaſi ad ipſum pertineat in conſequentiam Juriſpatronatus, quod habet? Reſponſum eſt negative Alex. III. quia de Jure communi Laicus eſt incapax juris ſpiritualis, & ei annexorum, adeoque conceſſio facta Laico de habendo Jure Patronatus, quod eſt Jus ſpirituale, aut ſpirituali annexum, eſt conceſſio exorbitans, hoc eſt devians, aut diſcordans a Jùre communi; quæ autem exorbitant a Jure communi non ſunt trahenda ad aliquam conſequentiam, hoc eſt in his argui non poteſt a ſimilibus ad ſimilia, quaſi per hoc ipſum, quod unum conceſſum ſit, etiam aliud ſimile concesſum inferri poſſit.

2 Ad intelligentiam regulę notandum eſt hoc verbum *Exorbitare* idem ſignificare apud Juriſtas, quod ex orbita, ſeu via communi deflectere. Exorbitans igitur a Jure communi illud dicitur,

citur, quod deviat, & in aliqua parte recedit a jure communi, cujus generis ſunt privilegia, diſpenſationes, aliaque ſimilia, quæ ſint derogativa Juris communis.

3 Circa hujus generis facultates, aut conceſſiones a jure communi deviantes decernitur in præſenti regula, non eſſe trahendos ad conſequentiam, hoc eſt non eſſe extendendas ab una perſona ad aliam perſonam, ab una cauſſa ad aliam cauſſam, ſed continendas intra ſuos terminos rerum, & perſonarum, ſub quibus conceſſę fuerunt; quam in rem faciunt ea, quæ ſupra diximus in explicatione regulæ 7. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, &c.* item ea, quæ diximus in explicatione reg. 15. *Odia reſtringi, &c.* unde etiam deducitur ratio præſentis regulæ: nam ea, quæ a jure communi exorbitant cenſentur odioſa, ex ibid. dictis: atqui odioſa non trahuntur ad conſequentiam, ſeu non extenduntur a perſona in perſonam, a caſu ad caſum, a ſimilibus ad ſimilia, ſed intra ſuos præciſe terminos reſtringuntur: ergo, quæ a Jure communi exorbitant non extenduntur.

4 Propter hanc rationem decernitur in l. *Unica, C. de Privilegio Dotis*, quod quamvis mulieri competat hoc privilegium, ut pro recuperanda ſua dote ex rebus Mariti, præferri debeat reliquis Creditoribus etiam anterioribus: attamen illud privilegium non tranſeat ad Mulieris heredem, ubi Gloſs. illud ſtatutum extendit etiam ad filios conſideratos ut heredes; docet enim privilegium illud non tranſire ad filios jure hereditario, ſed ſolum jure filiationis: quia ſcilicet de jure communi eſt, ut Creditor anterior preferri debeat poſterioribus, juxta reg. 54.

infra explicandam, *qui prior eſt tempore, potior eſt jure*; adeoque privilegium, quod Mulier pro recuperanda dote preferri debeat creditoribus anterioribus, eſt privilegium exorbitans a jure communi; quę autem exorbitant a jure communi nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. Idem proportionaliter dic in aliis exemplis, quæ ſupra adduximus in explicatione regulæ *Privilegium*, & regulæ *Odia*, puta in eo, qui obtinuerit diſpenſationem pro beneficio obtinendo, cujus diſpenſationis vigore non niſi unicum beneficium obtinere poteſt, & ſic de reliquis ſimilibus.

R E G. X X I X.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex l. ult. *de auctoritate præſtanda*, & ex aliis Juribus. Caſus poni poteſt ex c. *in Cauſſis* 30. De Elect. ut communiter a Doctoribus explicatur in iis verbis, *a ſingulis de Capitulo ſtatutum eſt, &c.* Vacante quadam Eccleſia, Capitulares debebant procedere ad Electionem futuri Prælati. Sed cum inter ſe concordare non poſſent, nullumque ſcrutinium ſuccederet, in quo major Capituli pars unum, eumdemque nominaret, propoſuerunt Electionem expedire per Compromiſſum; committendo videlicet uni, vel pluribus totam poteſtatem eligendi, ita ut, quem illi eligerent, eſſet ab omnibus acceptandus. Huic conſilio procedendi per Compromiſſum conſenſerunt omnes Capitulares præter Unum, quod declaravit ſe non acquieſcere Compromiſſo, ſed mentem ſuam

eſſe,

eſſe, ut procedatur ulterius in ſcrutiniis. Numquid ea ipſius contradictio ſatis fuit, ut non poſſet compromiſſum executioni mandari? Reſpondetur fuiſſe ſufficientem ad impediendum compromiſſum, quia cum ea res tangeret omnes, & ſingulos Capitulares, ab omnibus pariter, ſingulíſque approbari debebat ad effectum, ut poſſet executioni mandari. Caſus etiam poni poteſt ex l. *Nam ita* 39. ff. *de Adoptionibus*, ubi decernitur, ut in confirmatione adoptionis non Jure factæ debeant citari, & eſſe præſentes quotquot læderentur, ſi Confirmationi non intereſſent; & ſic de aliis pluribus caſibus.

2 Pro intelligentia regulę notandum eſt, duplici modo, poſſe aliquid omnes tangere, ſeu ad omnes pertinere: primo ita ut ſolum pertineat ad omnes, ut omnes in communi, ſeu quaſi collegialiter, & ut conſtituunt quamdam perſonam fictam, quales ſunt Communitates, Capitula, Collegia, &c. ſecundo ita ut etiam pertineat ad omnes, ut ſingulos, ſeu ſingulariter conſideratos. Jam vero præſens regula, ſi legitime explicetur, pro utroque caſu, ſervata proportione, pariformiter procedit, ita ut eo modo, quo aliquid omnes tangit, debeat eodem modo ab omnibus approbari. Si aliquid igitur tangit ſolum omnes, ut omnes communiter, ſeu ut ſunt una perſona ficta communitatis, tunc non opus eſt, ut approbetur ſingulariter ab omnibus componentibus illam fictam perſonam, ſed ſufficat ſolum approbari ab eadem perſona ficta communitatis, aut Capituli, adeoque ſufficit approbari a majore parte Capituli, quia, quod ſit a majore parte Capituli, cenſetur factum a toto Capitulo, ut coſtat ex pluribus Juribus in 30. De-

cret. ſub titulo *De his, quæ fiunt a majore parte Capituli*, & ex l. *quod major* 19. ff. *ad Municipalem*. Inde eſt quod cenſetur legitime electus a toto Capitulo, qui pro ſe tulerit ſolum ſuffragia majoris, & ſanioris partis Capituli, ex cap. *quia propter* 42. *de Elect.* aliiſque Juribus, quia ſcilicet Electio pertinet ad omnes Capitulariter, ſeu ut ſunt una perſona ficta Capituli; quod autem fit per ſuffragia majoris, & ſanioris partis Capituli, cenſetur factum a toto Capitulo.

3 Si autem aliquid tangat omnes, ut ſingulos, ſeu ſingulariter conſideratos; tunc opus eſt, ut a ſingulis approbetur, ſive conjunctim, ſive ſeparatim, ut tradit Gloſs. ad hanc reg. communiter recepta, ſumiturque etiam ex leg. *Per fundum* XI. ff. *de ſervitutibus prædiorum ruſticorum*. Ratio eſt, quia quando aliquid tangit omnes ut ſingulos, ſinguli habent jus, ne ſine ſuo conſenſu, & approbatione illud fiat: ergo, ſi ſine conſenſu alicujus fieret, læderetur jus ipſius, adeoque injuſte fieret. Hinc patet, quare in electionibus procedi non poſſit ad compromiſſum ſine conſenſu omnium, & ſingulorum Capitularium: item quare ad Electionem faciendam vocari debeant omnes, & ſinguli Capitulares, etiam abſentes, qui commode poſſunt, & volunt intereſſe Electioni, ita ut ſi, uno illorum contempto, ſeu non vocato, celebraretur Electio, peti poſſit ab ipſo, ut Electio reſcindatur, & ſic de aliis ſimilibus caſibus. Ratio enim eſt: quia iſta tangunt omnes ut ſingulos: ſinguli enim Capitulares habent jus dandi ſuffragium in Electione, & ſinguli habent jus, ut vocentur, ſi ſint abſentes in loco, ex quo commode

pol-

poſſint vocari : actus igitur, per quem huic ipſorum juri præjudicaretur, debet a ſingulis approbari, atque ita accidit tum in compromiſſo, in quo Capitulares privant ſe pro ea vice facultate eligendi, eamdemque transferunt in Compromiſſarios: tum in eo, quod aliquis Capitularis non vocetur ad Electionem, quando commode poterat, & debebat vocari, qui quamdiu per conſenſum non cedit juri ſuo, petere poteſt a Superiore, ut Electionem a Capitulo factam reſcindat.

4 Notat tamen hic Barboſ. ad hanc reg. n. 4. conſenſum ad aliquem actum requiri tantum, quoad illos ſingulos, quos principaliter idem actus tangit, ſeu quorum præjudicium principaliter vertitur; non autem quoad alios, in quos ſolum indirecte, & ſecundario damnum aliquod redundat, idque probat ex Gloſ. in l. *Unoquoque* 47. v. *quos cauſſa*, ff. *de re judicata*: & ſumi etiam poteſt ex l. penult. in his verbis: *cujus actio, vel defenſio primum ſibi competit* ff. eod. & ex cap. 2. *de pactis* in 6. juncta Gloſs. v. *detrimentum*.

5 Notat præterea idem Auctor ib. n. 5. etiam quoad eos, quos actus principaliter tangit, poſſe nonnumquam non requiri ſingulorum conſenſum, quando videlicet urgens aliqua cauſſa, ſeu grave motivum publicæ utilitatis impulerit, ſi præſertim illud aliquorum præjudicium ſit exiguum, in quo caſu contingere poteſt, ut conſenſus majoris partis ſufficiat. Ita contingit, quando plures habent Juſpatronatus in uno, eodemque beneficio, in quo caſu admittitur præſentatio facta a majori parte Patronorum, ne ſi expectandus ſit conſenſus ſingulorum patronorum,

diu

diu differatur proviſio beneficii: & ſic de reliquis ſimilibus.

R E G. XXX.

In obſcuris minimum eſt ſequendum.

1 DEſumitur hæc regula ex l. *Semper. in obſcuris* 9. ff. *de reg. Juris*, quæ talis eſt: *Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur;* cui etiam conſonat l. *Semper in ſtipulationibus* 34. ff. eod. aliique textus, qui citantur hic a Gloſs. ex quibus caſus ita figurari poteſt. Titius in teſtamento ſuo legavit Cajo 100. ſcuta. Cum autem dentur ſpecies ſcutorum diverſæ, quarum una eſt majoris valoris, quam alia, non expreſſit Titius, de qua ſcutorum ſpecie loqueretur, nec id colligi poteſt ex ulla alia parte teſtamenti, aut ex conſuetudine Regionis, aut ex qualibet alia circumſtantia. Quare, penſatis omnibus, eſt obſcurum, & incertum qualiter intelligendum ſit legatum factum a Titio. Pro tali caſu quæſitum fuit, utrum legata cenſeri deberent ſcuta majoris valoris, vel minoris, & ad quæ ſolvenda compellendus eſſet heres Titii? Reſponſum eſt in l. *Nummis* 75. ff. *de Legatis* 3. in tali caſu cenſeri legata ſcuta minoris valoris, & conſequenter ad ſolvenda ſolum ea compelli poſſe heredem.

2 Ut intelligatur ſenſus hujus regulæ, notanda eſt lex ſupracitata, *Semper in ſtipulationibus*, quæ ita ſe habet: *Semper in ſtipulationibus, & in ceteris contractibus, id ſequimur, quod actum eſt.* Unde ſi non apparet, quid actum eſt, conſequens erit, ut id ſequamur, quod in Regione,

in quo id actum eſt, frequentatur. Quid ergo, ſi neque Regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum eſt, *redigenda ſumma eſt*. In hac lege præſcribitur modus interpretandi actus obſcuros, & per quos gradus deveniri tandem poſſit ad hoc, ut interpretatio ſit de minimo. Et quamvis lex expreſſe ſolum loquatur de ſtipulationibus, aliiſque contractibus, intelligi tamen poteſt proportione ſervata etiam in aliis regulariter, ad quæ extenditur præſens regula Juris, ut ex dicendis patebit.

3 Primo itaque pro interpretatione, & executione contractuum, examinandus eſt contractus ipſe, verbaque perpendenda, quibus celebratus eſt, & ſecundum ea cenſeri debet obligatio reſultans. Quod ſi, quid actum ſit, aut quæ obligatio contracta, ex ipſis præciſe verbis non ſatis liqueat; examinanda eſt conſuetudo regionis, ubi actus factus eſt, & juxta ejuſdem regionis ſtylum idem actus explicabitur; ut puta ſi alicubi nomine ſcutorum juxta communem conſuetudinem loquendi intelligantur ſcuta majora, de talibus ſcutis intelligetur legatum relictum a Titio expreſſo ſolo nomine ſcutorum: quam in rem etiam facit alia regula infra explicanda: *inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel, quod plerumque fieri conſuevit*. Inde eſt, quod ſi alicubi mos ſit, ut pretium alicujus rei ſint 10. ſc. majora, & Titius illam emens te obligaverit ad ſolvenda 10. ſcuta, obligabitur ad ſolvenda 10. ſcuta majora, juxta conſuetudinem regionis; & ſi aliquid ſolvendum ſit Eccleſiæ ad aliquam menſuram, quæ pro diverſis locis diverſa ſit, ſervanda erit illa menſura, in qua ſolvere ſolent habitatores ejuſdem regionis,

juxta

juxta text. expreſſum in c. *Ex p.* 18. *de cenſib.* & ſic de aliis ſimilibus.

4 Quod ſi caſus contingat, in quo nec ex qualitate actus geſti, nec ex conſuetudine regionis, nec ex affectionibus perſonarum, nec ex ulla alia circumſtantia colligi poſſit, in qua ſpecifica menſura quantitatis aliquid debeatur ex legato relictum, eo quod relictum fuit, ſub expreſſione indifferenter acceptibili pro majori, vel minori menſura quantitatis, tunc locum habet præſens regula Juris; quia tunc debitor non eſt regulariter cogendus, niſi ad ſolvendum minimum intra genus illius expreſſionis: ut puta ſi ex nullo capite colligi poſſit, utrum ſcuta legata Cajo intelligenda ſint potius ſcuta majora, quam minora, aut e converſo; tunc Titius heres non eſt cogendus, niſi ad ſolvenda ſcuta minora, quia in obſcuris minimum eſt ſequendum. Ratio hujus regulæ multiplex redditur ab Auctoribus. Primo enim quia minimum ſequendo, minus exponimur periculo errandi: in eo enim quod plus eſt, continetur minus: non autem e converſo: quam rationem affert Gloſ. ad hanc regulam. Præterea loquendo ſpecialiter de legatis, quia Teſtator præſumitur in obſcuris minus velle gravare heredem, quam fieri poſſit, ut conſtat ex l. *Unum ex familia* 67. §. *Si rem*, ff. *de Legatis* 2. Loquendo autem de contractibus, ad quos etiam extenditur hæc regula, quia ſibi imputare debet venditor, aut locator, quod pactionem obſcuram fecerit, cum in ejus poteſtate fuerit obligationem apertius declarare, ut patet ex l. *Veteribus* 39. ff. *de pactis*. Demum loquendo de pœnis, de quibus etiam præſens regula ponitur, quia in du-

dubio minor pęna imponitur, ex l. *Si præſens* 32. ff. *de pęnis* & ex reg. *In pęnis* 49. infra explicanda de regulis Juris in 6.

5 Iſta tamen intelligenda ſunt regulariter, & extra caſus exceptos, in quibus ex aliqua circumſtantia non eſt ſequendum minimum in obſcuris, ut fuſe tradunt Juriſtæ in l. *Semper in obſcuris* 9. ff. de regul. Juris, & Canoniſtæ in hanc reg. quam explicavimus. Inter quos videri poteſt Dynus in explicatione hujus regulæ, ubi etiam notat, regulam iſtam procedere circa quantitates, non autem circa ſpecies, & artificia, in quibus, quando res eſt obſcura, ſequendum eſt medium, ut docet etiam Gloſs. ad hanc regulam, ſumiturque ex l. *Si quis argentum* 35. ff. *de Donationibus*, aliiſque juribus ab eadem Gloſs. citatis. Inter reliquas exceptiones ea etiam eſt, quæ concernit legata relicta ad pias cauſſas, in quibus verba obſcura intelliguntur favore Religionis, non de minori, ſed de majori, ut tradit Barboſ. in l. *Titia* 38. §. *Seja*, ff. *de auro*, & *argento legato*.

6 Contra regulam hactenus explicatam objici poteſt. Nomen excommunicationis latæ ab homine, quamvis ſecundum ſe ſit indifferens ad ſignificandam excommunicationem majorem, vel minorem; attamen abſolute prolatum intelligi debet de majori excommunicatione; ut conſtat ex c. pen. *de ſent. exc.* ergo falſum eſt, quod in pęnis, ubi res eſt obſcura, ſequendum ſit minimum. Item obiici poteſt textus in l. *Etiam* 43. ff. *de Uſufructu*, & l. *Nomen filiarum* 164. ff. *de Verbor. ſignificatione*, ubi habentur ſequentia: *Partitionis nomen non ſemper dimidium*

ſigni-

ſignificat; ſed pro ut eſt adjectum. Poteſt enim juberi aliquis, & maximam partiri poſſe, & vigeſimam, & tertiam, & prout libuerit. Sed ſi non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur. Hactenus verba legis. Ergo etiam in quantitatibus, quando aliquid legatum eſt ſine ultima ſpecifica expreſſione menſuræ, non eſt ſequendum minimum; ſiquidem pars dimidia non eſt aliquid minimum in genere partis.

7 Ad primum reſpondetur illud eſſe ſpeciale pro excommunicatione, quia ita declaratum fuit a Greg. IX. in cit. c. penult. de ſent. excom. Ratio autem eſſe poteſt; quia excommunicatio minor numquam ferri ſolet ab homine, ſed ſolum a Jure contra communicantes cum excommunicato vitando in iis caſibus, in quibus ea communicatio ſit ſolum culpa venialis; cum ergo verba generica interpretanda ſint juxta communem uſum; inde eſt, quod nomen excommunicationis latæ ab homine ſumendum ſemper ſit pro excommunicatione majori.

8 Ad ſecundum etiam reſpondetur textum illius legis ita procedere, quia nomen partis abſolute prolatum, niſi aliud exprimatur, ſolet intelligi in communi modo loquendi pro parte dimidia, ut deſumitur ex l. *recte dicimus* 25. §. *ult. ff. de verb.* ſignif. juncta Gloſ. ibid. v. *rem pro indiviſo;* cui etiam conſonat Gloſ. in Clem. 1. *de foro compet.* v. *aut earum parte:* verba autem interpretanda ſunt juxta communem loquendi modum, ut dictum eſt. Textus igitur objecti non contradicunt huic regulæ, quia attenta communi conſuetudine in objectis caſibus, res non eſt obſcura.

REG.

R E G. XXXI.

Eum, qui certus eſt certiorari ulterius non oportet.

1 DEſumitur ex l. 1. §. ult. ff. *de actionibus empti, & venditi.* Caſus figurari poteſt ex c. *Si duobus* 7. *De appellationibus.* Titius, & Cajus litigaverunt coram Judice ſuo, puta coram proprio Epiſcopo, qui in ea cauſſa tulit ſententiam definitivam. Sed cum per eamdem ſententiam uterque ſe nimium gravari putaret, appellavit Titius ad Judicem immediate Superiorem, nempe ad Archiepiſcopum, Cajus autem ad Papam. Archiepiſcopus, ſuſcepta appellatione Titii, citavit Cajum ad ſuum tribunal pro cognoſcenda cauſſa; Cajus tamen eo quod ad Papam appellaſſet, obedire neglexit, & neque per ſe, neque per Procuratorem coram Archiepiſcopo comparuit: quare in contumaciam ab Archiepiſcopo damnatus fuit, & excommunicatione punitus. In hoc caſu certum eſt, quod ſi Archiepiſcopus nullatenus ſcivit Cajum pro ea cauſſa appellaſſe ad Papam, potuit legitime citare eumdem Cajum, & contumacem excommunicare; tenebatur enim Cajus legitime citatus coram Archiepiſcopo ſuo Judice comparere, & ſi vellet inſiſtere appellationi a ſe factæ ad Papam, debebat hanc ipſam appellationem a ſe factam declarare eidem Archiepiſcopo; quod ſi feciſſet, non potuiſſet amplius Archiepiſcopus in ea cauſſa procedere. Sed ſupponamus, quod Archiepiſcopus certo cognoverit Cajum pro ea cauſſa appellaſse ad Papam; hoc ta-

tamen non obſtante proceſſerit ad citandum Cajum, eumdemque tamquam contumacem, excommunicandum ſub prætextu, quod neque Titius indicaverit eam appellationem factam ad Papam, neque Cajus compareat ad illam manifeſtandam; numquid geſta per Archiepiſcopum legitima ſunt, & valida excommunicatio in Cajum fulminata? Reſponſum eſt negative: quia Archiepiſcopus certus erat de appellatione interpoſita ad Papam, nec oportebat ipſum ulterius certiorari: ſecus ſi ignoraſſet.

2 Ratio hujus regulæ clara eſt: quia certioratio ad hunc tantum finem adhiberi ſolet, ut quis aliquid ſciat: ſi igitur illud jam certo ſciatur ab eodem, certioratio eſt potius fruſtranea, & otioſa.

3 Iſta tamen intelligenda ſunt pro iis caſibus, in quibus certioratio ad eum præciſe finem adhibetur, ut aliquid ſciatur; ſecus accidit, quando certioratio requiſita eſt tamquam legalis ſollemnitas, quæ ſi non ponatur, eo ipſo actus de ſtatuto legis eſt nullus. Exemplum habes in rub. *de Teſtamentis*, pro quibus de jure civili requiruntur 7. teſtes rogati, & ſubſcribentes ex §. *Sed cum paullatim*, Inſtit. *de Teſtamentis*; & de Jure Canonico duo, vel tres teſtes cum Parocho ex c. *Cum eſſes* 10. *de Teſtamentis*, quamvis talis numerus teſtium pro certificanda præciſe mente teſtatoris non videatur eſſe adeo neceſſarius, cum dari facile poſſit caſus, in quo aliunde illa conſtet, at hoc non obſtante neceſſario requiritur, quia ad vitandas fraudes, quæ frequenter naſci poſſent, ſtatutus fuit a Lege, atque univerſaliter præſcriptus per modum neceſſariæ ſollemnitatis.

4 Idem juris eſt ſi quando hic, & nunc certio-

tioratio requiritur ad effectum, ut certioratus incidat in pœnam contumaciæ, aut ſi quando requiritur ad effectum, ut certiorans acquirat aliquod jus ex notificatione, quam facit, & ſic de reliquis ſimilibus caſibus, in quibus certioratio ponatur propter aliquem alium finem ultra hoc, quod eſt præciſe rei ſcientiam inducere: in ejuſmodi enim caſibus fieri debet denuntiatio etiam ei, qui certus eſt, ut patet in exemplo excommunicationis majoris, quæ ex præſcripto ſacrorum Canonum numquam fertur ab homine, niſi præmiſſa trina monitione, aut ſaltem unica tribus æquivalente, poſito nempe triplici temporis interſtitio, quorum primum pro prima monitione ſit, ſecundum pro ſecunda, tertium pro tertia, & C. *Conſtitutionem 9.* de ſent. excom. quia videlicet ea monitio non ponitur ad inducendam præciſe ſcientiam pœnæ imminentis, ſed præterea tum ad incitandum reum, ut a delicto reſipiſcat, tum etiam ut ſi inobediens Reus fuerit, magis inde ejus contumacia convincatur, & puniatur.

R E G. XXXII.

Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.

1 DEſumitur ex l. *Non debet Actori* 41. ff. *de reg. Juris*, ex cap. *de muneris petitionibus*, aliiſque Juribus, unde caſus ita formatur. Titius volens intentare litem contra Cajum, obtinuit reſcriptum a Principe, ut cauſſa cognoſceretur, appellatione remota. Vigore hujus reſcripti convenit coram Judice Cajum, qui coram eodem Judice reconvenit Titium, ut puta cum Titius prætenderet, & peteret ali-

aliquid ſibi ſolvendum a Cajo; Cajus viciſſim oblato libello coram eodem Judice petivit aliquid aliud ſibi ſolvendum a Titio. In hoc caſu certum eſt, quod in cauſsa conventionis propoſita a Titio actore non poteſt Cajus reus interponere appellationem, quia ea cauſsa commiſsa fuit cum clauſula, *appellatione remota*. Sed numquid ſaltem in cauſsa reconventionis propoſita a Cajo, poterit Titius Actor appellare? Reſponſum eſt negative a Cęleſtino III. in cit. c. 2. *de Mutuis petitionibus*: quia *cum Actoris* (inquit) *& Rei eadem ſit conditio, & uno, eodemque jure circa appellationis remedium debeat uterque cenſeri; ſicut deſiderat Actor, ut ſibi juxta Mandatoris reſcriptum juſtitia fiat, appellatione remota; eodem modo reconvenienti debet in ſua juſtitia reſpondere.*

2 Fundamentum, & ratio hujus regulæ petitur ab æquitate. Nam ut ſupra diximus in explicatione reg. 11. conditio Rei eſt miſerabilior, quam conditio Actoris; æquitas autem petit, ut ea, quæ uni conceduntur regulariter, non denegentur alteri miſerabiliori. Quinimmo cauſſa partis miſerabilioris ſecundum naturalis æquitatis leges ſolet eſſe favorabilior, unde reg. 11. ſupra explicata præcipit favendum eſſe potius Reo, quam Actori, cum ſunt partium jura obſcura. Inde eſt, quod ſi in judicio Actor obtinuit, quod Reus perſonaliter compareat ad reſpondendum; idem quoque obtinere poſſit Reus, ut etiam Actor perſonaliter compareat: ſi poſt litem conteſtatam Reus revocare non poteſt Procuratorem, in cauſſa prius cognita; ex l. *poſt litem* 17. ff. *de Procuratoribus*; ita & actor ex l. *quæ omnia* 25. ff. eod. & ſic de aliis ſimilibus,

bus, quæ videri poſſunt apud Card. Tuſchum littera A concl. 119. Vide etiam, quæ ſupra diximus ad reg. 11. ubi notavimus dari aliquas cauſſas favorabiles, in quibus favetur nonnumquam potius Actori, quam Reo; quemadmodum & aliquando contingit licere aliquid Actori, quod non licet Reo, ex aliqua ſpeciali circumſtantia, ut eſt exemplum indicatum a Gloſ. pro caſu, in quo Reus habeat plures Judices ordinarios, coram quibus conveniri poſſit, in quo caſu eſt in poteſtate Actoris eligere Judicem ex illis unum, non autem in poteſtate Rei: quod ſtatutum fuit, ne ſi Reo tribuatur illa facultas Judicem eligendi, ſumat inde occaſionem ſubterfugiendi judicium.

R E G. XXXIII.

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

1 DEſumitur ex l. 74. ff. *de reg. juris*, quæ talis eſt: *Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam*. Exemplum ſumi poteſt ex c. *Publicato* 58. *de Elect.* Capitulares, ad quos ſpectabat Electio facienda futuri Prælati convenerunt, & in ſcrutinio ſinguli dederunt ſua ſuffragia, quæ poſtea publicata fuerunt juxta formam præſcriptam in c. *quia propter* 42. *de Elect.* ex qua publicatione apparuit majorem partem ſuffragiorum Capituli, Titium nominaſſe. Aliqui illorum Capitularium videntes illud ſcrutinium non ſucceſſiſſe juxta ſuam mentem voluerunt mutare conſilium ſuum, & ſuffragium jam datum variare. Quæſitum eſt an id

jure potuerint? Reſp. fuit negative ab Honorio III. quia ea ſuffragiorum variatio redundaret in detrimentum Titii; conſilium autem mutari non poteſt cum alterius detrimento. Item aliud exemplum ſumi poteſt ex leg. fin. C. *de negotiis geſtis.* Conſtituiſti Procuratorem, quia negotia tua recte geſſit, unde teneris illi ſolvere expenſas. Numquid poſt illa negotia geſta, potes revocare mandatum procuratorium, ad effectum, ut libereris a ſolvendis illi expenſis? Reſponſum eſt negative in cit. l. fin. quia ſcilicet illa variatio eſſet in Procuratoris detrimentum.

2 Tota hæc regula procedit circa mutationem conſilii, ex qua damnum in aliquod jus tertii derivaret, illud tollendo, vel minuendo, vel difficilius reddendo; æquitas enim, & juſtitia petit, ut nihil agamus, per quod alius lædatur in jure ſuo. Hinc a contrario ſenſu deducit Gloſ. fin. ad hanc reg. quod ubi nullatenus alteri præjudicat, mutari poteſt conſilium, & nonnumquam etiam expedit, ubi ſcilicet ſit mutandum in melius. Exemplum hujus illationis habes in titulo *de Poſtul. Prælat.* Certum eſt ex ſupradictis, quod quando Capitulares procedunt per viam Electionis, poſtquam ſua ſuffragia dederunt, & ſcrutinium publicatum eſt, non poſſunt variare ſuffragium. Secus accidit, quando Capitulares procedunt per viam poſtulationis, nominando perſonam habentem aliquod impedimentum canonicum diſpenſabile, & adhibendo verbum *Poſtulo*, per quod petitur a Superiore diſpenſatio ejuſdem impedimenti: pro eo enim caſu decernitur in c. *Bonæ memoriæ* 4. *de Poſtul. Prælat.* ut poſtquam poſtulatio fuerit præſentata Superiori, non poſſint Capitulares

va-

variare; unde a contrario ſenſu inferunt communiter Doctores, quod antequam ea poſtulatio præſentetur, variare poſſint etiam invito poſtulato, ut tradit Panor. in cit. c. *Bonæ memoriæ* 4. de poſtul. Prælat. n. 10. Ratio autem diſparitatis, quare variatio dari poſſit in poſtulatione nondum præſentata Superiori, aut in Electione dari non poſſit, affertur ab eodem Auctore ibid. n. 11. quia videlicet per poſtulationem nullum jus acquiritur poſtulato, cum ſit inhabilis, & indigeat diſpenſatione. Si igitur poſtulatio varietur, nullum jus læditur, quod ſit acquiſitum a poſtulato, & propterea ea variatio non eſt prohibita; niſi tamen, ut diximus, poſtulatio ſit jam præſentata Superiori, in quo caſu Capitulares non poſſunt a poſtulatione recedere, non ex eo quia per illam acquiſitum ſit aliquod jus a poſtulato, ſed ne Superiori videantur illudere, ut habetur ex cit. c. *Bonæ memoriæ*. At in electione aliud accidit, quia perſona electa habilis eſt, unde poſt ſcrutinium publicatum variari non licet, quia id videretur aliquo modo cedere in injuriam, & infamiam electi, qui ceteroquin eſt habilis, utpote carens impedimento. Conſonat huic regulæ regula 21. ſupra explicata: *quod ſemel placuit, &c.* Vide, quæ ibidem diximus, quæ etiam faciunt ad ulteriorem intelligentiam regulæ præſentis.

R E G. XXXIV.

Generi per ſpeciem derogatur.

1 DEſumitur ex l. 81. ff. *de reg. Juris*, quæ talis eſt: *in toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod*

ad ſpeciem directum eſt. Habetur etiam in c. 1. & in c. *Paſtoralis* 14. §. *quoniam de reſcriptis*, aliiſque Juribus. Caſus figurari poteſt ex c. *Studuiſti* 2. *de offic. Legati*. Summus Pontifex ſpeciali delegatione commiſit Titio Epiſcopo quamdam cauſſam cognoſcendam, & judicandam inter duos. In ea autem Regione exiſtebat cum tota ſua juriſdictione Legatus de latere, de quo dubitatum fuit, utrum poſſet in ea cauſſa ſe intromittere, trahendo eam ad ſuum tribunal, vel impediendo Titium Epiſcopum a ferenda ſententia, vel irritando ſententiam latam ab eodem Epiſcopo juxta formam delegationis. Ratio dubitandi fuit: quia Legatus de latere habet juriſdictionem ordinariam in Provincia ſibi attributa, & cognoſcere poteſt cauſſas ſpectantes ad tribunal Epiſcopi: ergo potuit etiam eam cauſſam Epiſcopo delegatam cognoſcere. Sed, hoc non obſtante, reſpondit negative Cęleſtinus III. quia Titius Epiſcopus habuit ſpeciale mandatum de ea cauſſa cognoſcenda. Quamvis igitur Legatus de latere haberet ceteroquin generalem juriſdictionem, non tamen potuit eam cauſſam aſſumere, quia ei generali juriſdictioni quoad hoc derogatum fuit per ſpecialem delegationem. Item aliud exemplum poni poteſt ex cit. cap. *de reſcript.* Commiſſa fuit a Principe quædam particularis cauſſa inter Fabium, & Cajum cognoſcenda inferiori Judici cum clauſula, *appellatione remota*. Cajus tamen habebat generale privilegium libere appellandi in omnibus cauſſis. Ideo dubitatum fuit, an in ea cauſſa particulari admitti deberet appellatio Caji. Ad quod negative reſpondit Alex. III. quia ſpeciale mandatum de non ad-

mit-

mittenda appellatione in aliqua cauſſa particulari, quoad illam derogat generali conceſſioni appellationis interponendæ.

2 Ad intelligentiam regulæ notandum eſt nomine generis, & ſpeciei hic non intelligi univerſale illud, quod habet ſub ſe partes ſubjectivas, ut intelligitur apud Logicos; ſed genus ſumi pro quolibet toto continente ſub ſe plura ſingularia; ſpeciem autem ſumi pro illis ſingularibus ſub eo toto comprehenſis. Ut puta, juriſdictionalis facultas judicandi omnes cauſſas eſt genus; facultas juriſdictionalis judicandi aliquam particularem cauſſam eſt ſpecies, & ſic de reliquis.

3 Jam vero pluries contingit, unam diſpoſitionem fieri circa genus, & aliam circa ſpeciem, quæ diſpoſitiones habeant inter ſe aliquo modo contrarietatem, & ambæ ſimul adimpleri non poſſint, ut puta, in exemplo ſupra poſito generalis facultas appellandi in omnibus cauſſis, & particularis prohibitio appellandi in aliqua cauſſa determinata, ſunt diſpoſitiones appoſitæ, quæ ſimul ad effectum perduci non poſſunt. Pro ejuſmodi caſibus per præſentem regulam decernitur, generali diſpoſitioni cenſendum eſſe derogatum per ſpecialem; hoc eſt id, quod diſponitur circa ſpeciem, eſſe veluti quamdam diſpoſitionis generalis exceptionem. Ratio eſt: quia quando duæ diſpoſitiones habent inter ſe contrarietatem aliquam, debent quantum fieri poteſt ad concordiam reduci, & ambæ obſervari; ut colligitur ex c. *Cum expediat* 29. de Elect. in 6. atqui duæ diſpoſitiones contrariæ circa genus, & ſpeciem poſſunt ad concordiam reduci, & ambæ obſervari, ſi diſpoſitio circa ſpe-

ſpeciem intelligatur eſſe quaſi quædam exceptio diſpoſitionis circa genus, itaut diſpoſitio circa genus ſit obſervanda in omnibus reliquis, præterquam in eo, quod præſcribitur in diſpoſitione circa ſpeciem: Ergo, &c.

4 Inde fit, regulam iſto modo procedere, ſive prius facta fuerit diſpoſitio generis, quam diſpoſitio ſpeciei, ſive poſterius: in utroque enim caſu militat eadem ratio adducta, quia videlicet in utroque caſu utraque diſpoſitio concordari debet quantum fieri poteſt, atque ſervari, quod aliter obtineri non poteſt, niſi generi per ſpeciem derogando.

5 Ex his a contrario ſenſu deducitur, quod ubi diſpoſitiones circa genus, & ſpeciem non dicunt inter ſe contrarietatem ullam, ſed ambæ cum tota ſua proprietate, & extenſione poſſunt ſimul ſervari; tunc generi per ſpeciem non derogatur, ſed cenſetur peculiariter expreſſa illa ſpecies ad tollendam aliquam dubitationem, vel ex ſuper abundanti. Exemplum habes in l. *Quæſitum* 12. ff. *de inſtructo, vel inſtrumento legato*, §. ult. ubi duo caſus exponuntur. Primus eſt. Titius in teſtamento ſuo legavit Cajo fundum cum iis, quibus erat inſtructus, & poſtea adjecit cum ſupellectili exiſtente in eodem fundo. Dubitatum fuit, utrum ea expreſſio ſpeciei derogaret generi, & imminueret legatum, itaut nihil aliud ex iis, quibus fundus inſtructus erat, cenſendum eſſet legatum, præter ſupellectilem; & reſolutum fuit non derogare, ſed ſupellectilem expreſſam eſſe ex abundanti, adeoque præter ſupellectilem legata fuiſſe etiam reliqua, quibus fundus inſtructus erat. Alter caſus eſt: Titius in teſta-

ſtamento ſuo reliquit filio fundum cum iis, quibus inſtructus erat; at filiæ reliquit omne argentum, quod habebat. Contigit autem tunc reperiri in eodem fundo aliqua vaſa argentea, de quibus dubitatum fuit, utrum cenſenda eſſent relicta filiæ, adeoque quoad illa fuiſſe derogatum generali legato filii de omnibus, quæ exiſtebant in fundo; an potius cenſenda eſsent relicta filio vigore ejuſdem legati generalis, & deciſum fuit quoad illa fuiſse derogatum legato generali, adeoque eadem deberi filiæ.

6 Ratio diſparitatis eſt inter utrumque caſum: quia in primo caſu legatum factum de omnibus, quibus fundus erat inſtructus, & legatum de ſupellectili exiſtente in fundo, nullam dicunt contrarietatem, & ambo ſimul obſervari poſsunt, cum ſint facta in favorem unius ejuſdem perſonæ, cui ſimul dari poteſt & omne id, quibus fundus eſt inſtructus, & ſupellex fundi: at in ſecundo caſu legatum de omnibus exiſtentibus in fundo, & legatum de argento, utpote facta in favorem diſtinctarum perſonarum, habent inter ſe contrarietatem aliquam, ſeu ambo ſimul cum tota extenſione ſervari non poſsunt. Quare ut concordentur quantum fieri poteſt, debet generi per ſpeciem derogari; adeoque cenſendum eſt relictum filio quidquid eſt in fundo, exceptis argenteis.

7 Notandum tamen hic eſt, iſta procedere, ubi ceteroquin aliunde non apparet mentem teſtatoris fuiſse in contrarium. Si enim ex eadem mente, vel ex aliqua circumſtantia colligitur, ſpeciem fuiſse expreſsam ad reſtrictionem generis præcedentis; tunc per

ipſam ſpeciem derogatur generi, quamvis ceteroquin nullam inter ſe contrarietatem habeant, ſimulque ſervari poſſent. Id tamen procedit, non ex vi hujus regulæ, ſed aliunde, puta ex ipſius mente teſtatoris, ut tradit Barb. ad hanc regulam n. 3. ſumiturque ex l. *Legata 9. ff. de Supellectile legata*.

8 Contra hanc reg. hactenus explicatam objici poteſt caſus expreſſus in c. *Ex parte 12. De Offic. Delegati*. Titius impetraverat a Summo Pontifice reſcriptum, ut ſibi conferretur Archidiachonatus primo vacaturus in quadam Eccleſia. Poſt aliquod tempus Cajus adverſarius Titii cognoſcens imminere vacationem cujuſdam Archidiaconatus in eadem Eccleſia, impetravit etiam ipſe reſcriptum a Summo Pontifice, ut ſibi conferretur ille determinatus Archidiaconatus proxime vacaturus, nulla facta mentione de priori reſcripto impetrato a Titio. In eo caſu poſtquam de facto vacavit ille determinatus Archidiaconatus, dubitatum fuit, utri eſſet conferendus; An Titio vigore generalis reſcripti, quo mandabatur in genere ipſi provideri Archidiaconatum proxime vacaturum; An Cajo vigore reſcripti ſpecialis poſterioris, quo præcipiebatur ipſi conferri illum determinatum Archidiaconatum, qui de facto vacavit? Ad quod reſpondit Alex. III. Archidiaconatum illum determinatum provideri debere Titio: ergo in eo caſu reſcriptum ſpeciale Caji non derogavit reſcripto generali Titii.

9 Reſpondetur reſolutionem hujus caſus non eſſe contrariam huic regulæ. Ratio eſt: quia reſcriptum conceſſum Titio, quamvis videatur generale utpote præcipiens provideri Titio Ar-

chidiaconatum indeterminatum proxime vacaturum, attamen proprie, & in effectu generale non eſt, quia non poteſt mandari executioni, niſi per collationem unius particularis Archidiaconatus. Concurrebant igitur in eo caſu duo reſcripta ſpecialia. Ratio autem, quare in eo caſu prævaluerit prius reſcriptum ſpeciale conceſſum Titio, quam poſterius reſcriptum conceſſum Cajo, eſt, quia Princeps ſuo reſcripto poſteriori non cenſetur tollere, vel imminuere velle jus, quod jam alteri prius conceſſit, niſi id exprimat: unde ſi quod tale reſcriptum concedat, quod ſit aliquo modo læſivum conceſſionis jam factæ alteri, idque non exprimat, præſumitur illud concedere ex oblivione prioris conceſſionis, itaut ſi memor fuiſſet, non conceſſiſſet. Ita autem res accidit in caſu objecto, ut conſtat ex ipſo textu, & c. *Ex parte:* quia priori reſcripto jam facta fuerat Titio conceſſio de Archidiaconatu primo vacaturo, cui conceſſioni præjudicatum eſſet, ſi prævaluiſſet reſcriptum Caji, & aliunde Summus Pontifex non declaravit velle ſe derogare eidem conceſſioni.

R E G. XXXV.

Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

1 DEſumitur ex l. 110. ff. *de reg. Juris*. Caſus figurari poteſt ex cap. 1. *De arbitris* in 6. Titius, & Cajus ut litem, quam habebant, componerent, convenerunt in tres arbitros, quorum judicio, atque ſententiæ ſtandum eſset. Cauſa examinata, tulerunt arbitri ſententias ſuas in favorem Caji, damnantes Titium ad pecuniam ipſi ſolvendam; in eo tamen

inter ſe diſcreparunt, quod unus damnavit Titium ad ſolvenda 15. alter ad ſolvenda 10. tertius autem ad ſolvenda 5. pro tali caſu quæſitum eſt, quænam ex illis tribus ſententiis prævaleret? Ad quod reſpondit Bonif. VIII. in cit. c. 1. *De arbitris*, prævalere debere ſententiam de ſumma minori, ſeu de ſolvendis quinque; quia in ea ſumma omnes arbitri conſenſerunt, continetur enim tamquam pars in aliis duabus ſummis majoribus, nempe in 10. & in 15. quia plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

2 Hæc regula, ut tradit Gloſsa, potiſſimum locum habet in iis, quæ conſiderantur ſecundum plus, & minus in quantitate, ſecundum quam id, quod minus eſt, conſideratur tamquam pars alterius, quod plus eſt: cum autem evidens ſit partem in toto contineri, de quo eſt etiam regula juris infra explicanda, ideo evidens eſt quoque plus ſemper in ſe continere, quod eſt minus, juxta ſenſum intentum a præſenti regula. Inde eſt, quod qui debitum habet ſolvendi 10. ſi impoſſibile ipſi ſit ſolvere 10. poſſit autem ſolvere 5. tenetur ſaltem ad ſolvenda 5. Qui non poteſt recitare omnes horas Canonicas, tenetur ſaltem recitare, quas poteſt, & ſic de reliquis ſimilibus. Ad hanc rem etiam facit alia Juris regula: *Cui licet quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus*, quæ inferius explicabitur, eaque occaſione reliqua expedientur, quæ ad præſentem regulam faciunt.

3 Inde fit, quod qui vel contractum, vel alium actum exercendo conſentit ſolvere, vel accipere aliquam ſummam pecuniæ, conſentit eo ipſo ſolvere, vel accipere partem ejuſdem ſummæ, quod evidens eſt, quando pars illa non

ſol-

ſolvitur, vel accipitur ſola, ſed ſimul cum aliis partibus componentibus eamdem ſummam. Difficultas tamen eſt, utrum, ſi contractus, vel diſpoſitio celebretur ſuper ſumma, ſuper qua non verificetur, verificari ſaltem debeat in parte ſummæ; ut puta, ſi diſpoſitio facta ſit de 20. & de tali ſumma non valeat, utrum ſaltem verificetur in 10. Ratio dubitandi eſt: quia, qui diſponit, & conſentit in 20. videtur etiam conſentire in 10. quæ continentur in 20.

4 Ad hanc difficultatem, omiſſis aliorum ſententiis, reſolvit Barb. ad hanc reg. n. 7. dicendo ex veriſimilibus argumentis cognoſcendam eſse mentem diſponentis, utrum ſcilicet exprimens majorem ſummam, præſumi poſſit conſenſiſse etiam in ſolam minorem: a voluntate enim, & conſenſu diſponentis pendet validitas diſpoſitionis. Poteſt autem præſumi in minorem ſummam impliciter, ſeu virtualiter conſenſiſse, ſi per minorem ſummam redditur melior ejus conditio; ſecus ſi minor ſumma ſit ei præjudicialis. Ut v. g. ſi fiat contractus locationis, locator conveniens de majori ſumma ſibi ſolvenda, non cenſetur conſentire ſoli ſummæ minori, quia eſset ei præjudicialis; at promittens debitor, ſeu conductor per hoc ipſum, quod conſentit ſummæ majori, cenſetur a fortiori conſentire minori, quia ſi intellexiſset locatorem minori pretio eſſe contentum, libentius conſenſiſſet, cum per hoc fiat melior ejus conditio. In idem recidit quod ab aliis dicitur ſub his aliis terminis; videlicet conſentientem ſummæ majori cenſeri etiam conſentientem ſummæ minori in cauſſa lucrativa, non autem in cauſſa oneroſa. Deſumuntur etiam hæc ex l. *Si decem* 52. *ff. Locati*.

5 Contra præſentem regulam objici poteſt caſus expreſsus in C. *Cui de non Sacerdotali* 27. de præb. in 6. ubi dicitur, quod ſi mandatur provideri alicui præbenda integra, aut præbenda certi valoris, non poſſit illi conferri præbenda dimidia, aut præbenda minoris valoris, etiamſi ſit ille contentus, cui providenda eſt; ergo falſum eſt, quod conſenſus in plus, etiam ſit aliquomodo conſenſus etiam in minus.

6 Reſp. cum Gloſ. ſolutionem clare patere ex ultimis verbis ejuſdem Canonis, quæ ſic habent: *Non enim hujuſmodi mandata (quorum fines diligenter ſervari oportet) debent ad caſus alios, quam expreſſos extendi*. Forma igitur mandati efficit, ut in objecto caſu non poſſit conferri dimidia præbenda, aut minoris valoris etiam eo volente, cui conferenda eſt, quia mandatum eſt de providenda præbenda integra, aut certi valoris, & mandatum debet diligenter obſervari.

R E G. XXXVI.

Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

1 Desumitur ex l. *Qui dolo* 173. & l. *Parem eſſe* 192. & l. *ad ea* 199. §. *Semper* ff. *de reg. juris*. Caſus figuratur ex cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ* 4. *Ut lite pendente*, &c. Cum quidam detineret poſſeſſiones, quæ de jure ſpectabant ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in via lata, timens ſibi reſtitutionem fore faciendam, ad fraudandam Eccleſiam doloſe deſiit eaſdem detinere, & in alterum tranſtulit, unde impotentem ſe reddidit ad illas reſtituendas. Quæſitum eſt, utrum, hoc non obſtante, poſset contra ipſum ha-

haberi acto, perinde ac ſi in illarum detentione perſeveraret? Ad quod affirmative reſpondit Innoc. III. præcipiens, ut ſi poſſeſſiones illas reſtituere amplius non valeret, eo quod illas alienaſſet, & non poſſet recuperare, ſaltem reſtitueret tantumdem poſſeſſionum æquivalentium ad arbitrium bonorum virorum, quia, qui dolo deſiit poſſidere, reputatur per fictionem Juris tamquam poſſeſſor; unde contra ipſum datur utilis actio.

2 Ratio, & æquitas hujus regulæ eſt manifeſta: quia vitium, & dolus non debet ita patrocinari, ut eximat ab obligatione reſtituendi: ex qua etiam ratione notant Auctores cum Gloſ. haberi eumdem pro poſſeſſore quoad ſui damnum; non autem quoad commodum, quia non debet commodum a ſua malitia reportare. Videri poteſt Dynus in explicatione hujus regulæ, ubi occaſione ejuſdem regulæ in varias quæſtiones digreditur.

REG. XXXVII.

Utile non debet per inutile vitiari.

1 Deſumitur ex l. *ſive generalis* 61. ff. *de Jure Dotium*, cap. *cum tempore* 5. *De arbitris*, aliiſque textibus ex utroque Jure deſumptis, quæ hic citantur a Gloſ. Caſus figurari poteſt ex c. *Dilectus* 19. *de Præbend.* Quidam Epiſcopus de mandato Papæ aſſignaverat Titio Canonicatum in quadam Eccleſia, ſed Capitulum ejuſdem Eccleſiæ recipere ipſum in Canonicum recuſabat. Pro ea controverſia definienda requiſitum fuit judicium Legati Pon-

tificii, qui rem ita compoſuit, ut Titius reciperetur in Canonicum a Capitulo, ſed fructus præbendæ percipere non deberet, niſi loco proximo vacaturæ. Judicium igitur Legati duas partes continuit, quarum prima fuit, ut Titius reciperetur in Canonicum; altera autem, ut expectaret præbendam vacaturam. Prima pars fuit utilis, utpote conformis ſacris Canonibus; ſecus altera pars, quæ fuit contraria decr. Conc. Later. III. quod refertur in c. 2. *De conceſſione præbendæ*, ubi prohibetur tribui, vel promitti beneficia antequam vacent. Numquid igitur totum illud judicium debuit annullari propter partem vitiantem; an quoad eam partem annullari; & quoad alteram confirmari? Reſp. confirmari debuiſſe quoad partem utilem, & quoad partem inutilem reprobari, ſicut de facto confirmatum, & reprobatum fuit ab Innoc. III. in cit. c. *Dilectus*: quia ſcilicet utile per inutile non vitiatur.

2 Hæc regula locum habet in iis, in quibus plures articuli continentur, quorum unus ſit utilis; aut a lege conceſſus; alter autem ſit inutilis, ſeu invalidus, & a lege reprobatus, pro quibus in præſenti reg. decernitur, articulum utilem non invalidari per articulum inutilem.

3 Hoc tamen intelligendum eſt pro caſu, in quo illi articuli ſint individui, & ſeparabiles: ſecus enim accidit juxta communem Canoniſtarum doctrinam in articulis individuis, & inſeparabilibus, quorum unius utilitas, ſeu invaliditas etiam alterum vitiat. Exemplum habes in cap. *Ad probandum* 24. *De ſententia, & re judicata*. Commiſſa fuit ſimul pluribus Judicibus delegatis quædam cauſſa cognoſcenda, qui vigore hujus commiſſionis ſuper eadem cauſſa ſen-

ſententiam ſimul protulerunt. Poſtea tamen cognitum eſt, unum ex iis Judicibus fuiſſe inhabilem ad ſententiam proferendam, eò quod eſſet publice excommunicatus, adeoque invalidum fuiſſe id, quod ab eo geſtum eſt. In eo caſu tota ſententia prolata etiam a reliquis Judicibus ceteroquin habilibus, declarata fuit invalida, adeoque utile vitiatum fuit per inutile. Ratio eſt: quia juriſdictio competebat omnibus illis Judicibus ſimul ſumptis, & una omnium ſententia debebat cauſſam terminari; adeoque res erat individua, & inſeparabilis, inſeparabilia autem non poſſunt pro parte valere, & pro parte non valere, ſed vel ſunt penitus, & adæquate valida, vel penitus, & adæquate invalida.

4 Quæri poteſt quid dicendum ſit pro caſu, in quo aliquis actus, puta aliqua Electio fiat ab Univerſitate, ſeu Capitulo, in quo erant aliqui inhabiles propter excommunicationem, utrum actus ille cenſendus ſit ſimpliciter vitioſus, ita ut etiam quatenus ponitur per perſonas habiles reddatur invalidus per admiſtionem perſonarum inhabilium, adeoque utile per inutile vitietur.

5 Reſp. cum diſtinctione. Vel illi excommunicati admiſſi fuerunt ſcienter, hoc eſt ita, ut reliqui admittentes recognoſcerent eos excommunicatos; vel admiſſi fuerunt ignoranter. Si ignoranter, tunc electio actus ſubſiſtit, ſuppoſito quod ſuffragia perſonarum habilium convenientia in eamdem perſonam Electi ſint in numero ſufficienti, ſeu ſupra medietatem Capituli; nec quidquam noceat ejus validitati, quod in ſcrutinio fuerit aliqua pars ſuffragiorum invalida, unde tunc verificatur regula præſens, quod utile per inutile non vitietur. Deſumi-

tur

tur hæc reſponſio ex c. ult. *de Procurat.* Ratio autem eſt, quam tradit Panor. in idem caput num. 4. quia actus Capitularis, puta electio proprie ſumpta non ſunt illa ſuffragia, quę dantur in ſcrutinio, ſed eſt illud Decretum, per quod unus nomine totius Capituli ſtatuit, & declarat aliquem Electum, quod decretum eſt ſubſequens ad ſcrutinium. Illud autem Decretum eſt actus proprius univerſitatis, qua talis, quæ eſt perſona ficta, & nomen Juris, quod refertur ſolum ad eos, apud quos eſt jus univerſitatis, adeoque ſolum ad habiles; unde ſuffragia data ab inhabilibus non attenduntur, & conſequenter Electionem non vitiant. Secus accidit, quando excommunicati admittuntur ſcienter; tunc enim Electio tota vitiatur, quemadmodum tota vitiatur; ſi ſimul cum Clericis admittatur etiam ad eligendum aliquis laicus, ex cap. *Meſſana* 56. *de Elect.* quia tunc etiam admittentes ſunt in culpa, adeoque puniri merentur per irritationem electionis.

6 Notandum tamen hic eſt ex eod. cap. ult. *De procurat.* doctrinam iſtam de validitate electionis procedere, dummodo illi excommunicati inhabiles expreſſi non ſint in ipſo decreto Electionis capitularis, & in diſpoſitione actus. Si enim expreſſi ſint, vitiatur Electio, & actus, quia tunc electio conſideratur prout individue, & inſeparabiliter procedens, tum ab habilibus, tum ab inhabilibus. Quando autem plura ſunt individua, & inſeparabilia utile per inutile vitiatur, ut dictum eſt. Rurſus ex eod. c. ult. notandum eſt, eamdem doctrinam procedere, dummodo inhabiles tamquam majores, & principales non prębuerint auctoritatem actui geſto

ab

ab univerſitate: auctoritas enim eſt, quę dat robur, & validitatem actui Capitulari. Si igitur auctoritas eſt nulla utpote interpoſita ab inhabilibus, nequit actus eſſe validus. Videri poteſt Panor. in cit. cap. ult. *de Procurat.* ubi hanc quæſtionem examinat.

7 Contra regulam hactenus explicatam objici poteſt textus in l. *Si libertus* 16. verſ. *Si quis plures*, ff. *de Jurepat.* ubi donatio plurium rerum facta a Liberto irrita tota eſſe dicitur, quando per eam ſe redegit ad habendum minus quam 100. aureos. Pars enim donationis illius, ſecundum ſe eſt utilis, ſeu valida, cum per illam donator Libertus non ſe redigat ad habendum minus, quam 100. aureos; & tamen ea pars donationis conjuncta cum alia parte donationis redditur invalida; & conſequenter utile per inutile vitiatur.

8. Reſp. in ejuſmodi caſu, ideo revocari etiam partem donationis, adeoque utile per inutile vitiari, quia quando facta eſt ſimul alienatio plurium rerum, non apparet, quare potius una pars donationis revocari debeat, quam alia, adeoque non conſtat de parte utili, quæ manere debeat; & propterea tota donatio declaratur invalida. Præſens autem regula procedit in iis, in quibus conſtat de parte utili.

REG. XXXVIII.

Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

1 Deſumitur ex cap. *Cum olim* 19. *de Cenſibus*, aliiſque Juribus, unde caſus ita figuratur. Quidam Epiſcopus contendebat ſibi

ſolvendas eſſe decimas, &c. jura Epiſcopalia ab Abbate cujuſdam Eccleſię abſque nulla diminutione. Abbas in contrarium reſpondebat ſe non teneri ad illa omnia integre perſolvenda, quia extabat inſtrumentum quoddam compoſitionis, in quo ſtabilita erat aliqua diminutio ſolvendorum, quamvis ceteroquin inſtrumentum illud fuiſſet ab Abbate multipliciter impugnatum, ut puta ſub prætextu, quod fuiſset violenter extortum; aut quod eſſet falſum. Quęſitum eſt, utrùm in eo caſu inſtrumentum illud deberet ſuffragari Abbati, ita ut ejus vigore non deberet ſolvere niſi partem eorum, quæ de jure communi debentur Epiſcopo? Ad quod Innoc. III. in cit. c. *Cum olim*, reſpondit ſuffragari non debere: quia videlicet Abbas ille non debuit beneficium conſequi ex eo, quod conatus fuerat multipliciter impugnare.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ eſt in eodem c. *Cum olim*: quia videlicet, qui aliquid totaliter ſimul, & adequate impugnat, renuntiare cenſetur cuilibet commodo, ſeu beneficio, quod ceteroquin ex eo reportare poſſet: In hac etiam ratione fundatur id, quod decernitur in l. *Papinianus* 18. §. *Meminiſſe* ff. *de inofficioſo teſtamento*, eum nempe, qui teſtamentum aliquod impugnavit coram Judice, tamquam inofficioſum, etiam ſi poſtea feratur ſententia pro validitate teſtamenti, non poſse eumdem impugnatorem ex eo teſtamento commodum reportare, puta obtinere legatum, quod in eodem teſtamento ipſi relictum fuit; immo ſi legatum ſolutum ipſi fuerit, auferendum ei eſſe, & dandum fiſco, quia impugnando teſtamentum tamquam inofficioſum, tacite renuntia-

tia-

tiavit fundamento ſui Juris, unde quod recepit, abſque jure recepit.

3 Notandum tamen hic eſt, id intelligi debere, ſi ab ea impugnatione non deſtitit ante ſententiam, ut notat Gloſs. in cit. cap. *Cum olim*. Item ſi totum teſtamentum impugnavit: qui enim ſolam partem impugnaret, non propterea prohiberetur fructum ex alia conſequi. Demum notat hic eadem Gloſs. quod ſi quis aliud impugnaret ex neceſſitate officii, & nomine alieno, puta tamquam procurator, vel tutor alterius, non propterea ſibi ipſi præjudicaret, ſed adhuc ex eo fructum conſequi poſſet nomine ſuo.

R E G. X X X I X.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

1 Sumitur ex cap. *Nam concupiſcentiam* 4. *De conſtitutionibus* l. *non dubium* 5. c. *De Legib.* aliiſque Juribus, ex quibus exemplum regulæ ſumi poteſt. In jejunio Quadrageſimæ prohibita eſt carnium comeſtio. Dubitatum olim fuit, utrum eodem tempore prohibitum quoque eſſet uti ovis, & lacticiniis. Ad quod in cap. *denique* 7. diſtinct. 4. reſponſum fuit, eſſe prohibitum quia cum ſit prohibitus eſus carnium, videntur etiam prohibita, quæ trahunt ſementinam originem a carne, atque ita de jure communi ſervatur in Eccleſia, exceptis iis Regionibus, in quibus per approbatam ab Eccleſia conſuetudinem aliud ſtatutum eſt. Item in citat. cap. *Nam concupiſcentiam* dici-

dicitur per prohibitionem generalem concupiſcentiæ fuiſſe generaliter prohibita omnia mala; quia omnia mala oriuntur ex concupiſcentia, hoc eſt ex pravo animi motu, & inordinata affectione ad res creatas.

2 Huic regulæ parum diſſimilis eſt alia, quam hic format Gloſs. fin. videlicet: aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud, cujus exemplum habes in l. *Oratio* 16. ff. *de Sponſalibus*, ubi dicitur, quod, ſi per legem inter quaſdam perſonas ſint prohibitæ nuptiæ, eo ipſo inter eaſdem cenſeantur etiam prohibita ſponſalia, etiamſi in lege prohibitiva nuptiarum nulla mentio fiat de ſponſalibus: quia videlicet ſponſalia ſunt medium per ſe ordinatum ad Nuptias.

3 Notat tamen Barb. in explicatione hujus regulæ, hoc intelligi debere de iis, quæ ſunt per ſe connexa, ſeu quorum unum eſt medium per ſe ordinatum ad aliud.

4 Reliqua ad ulteriorem hujus regulæ intelligentiam dicentur inferius in reg. *Acceſſorium* 42. paullo poſt explicanda, quæ præſenti regulæ affinis eſt.

REG. XL.

Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

1 DEſumitur ex l. *Ubi numerus* 12. ff. *De Teſtibus*, ubi dicitur, quod ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficiunt, quia pluralis elocutio duorum numero contenta eſt. Poteſt etiam figurari caſus ex cap. *Is, cui* 19. de Præb. in 6. Papa diſpenſavit cum

Ti-

Titio, ut poſſet ſimul plura beneficia obtinere, aliud non declarando. Quæſitum fuit, quot beneficia obtinere poſſet vigore ejus diſpenſationis? Reſponſum eſt a Bonif. VIII. poſſe tantum obtinere duo beneficia non curata. Quia ea diſpenſatio fuit odioſa, utpote derogativa Juris communis, adeoque ſtricte interpretanda, quantum ſatis fuit, ut poſſent verba verificari juxta reg. *Odia reſtringi* 15. ſupra explicatam. Ut autem illa verba diſpenſationis verificarentur, ſatis erat Titio conferri duo tantum beneficia, quia pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

2 Uſus, & applicatio hujus regulæ, locum habet regulariter in omnibus iis caſibus, ubi jus, vel diſpoſitio aliqua loquitur in plurali, nec determinat expreſſum numerum; ut v. gr. ſi pro validitate alicujus actus requirat teſtes non determinando quot, ſi in teſtamento legata ſit libertas ſervo acquirenda poſt annos, non explificando annorum numerum; de quo caſu ſermo eſt in l. *Libertas* 17. §. *Poſt annos* ff. *de manumiſſis teſtamento*, & ſic de reliquis. In his enim, aliiſque ſimilibus, duo regulariter ſufficiunt, puta duo teſtes, ut in cit. l. *Ubi numerus*; duo anni, ut in cit. §. *Poſt annos &c.*

3 Secus accidit ubi in eadem, vel in alia lege, ſeu diſpoſitione certus aliquis numerus exprimitur ſervandus in aliqua materia; quia tunc diſpoſitionis, aut legis illius ſtatutum in materia illa ſervandum erit. Plura hujus rei exempla habes apud Gloſs. in præſent. reg. præſertim circa numerum teſtium requiſitorum ad teſtamenta de antiquo Jure civili, ex quo regulariter 7. teſtes pro Teſtamentis requirebantur, l. *Hac*

con-

conſultiſſima 21. *C. De Teſtamento* 5. pro Codicillis, l. fin. §. ult. Cod. *De Codicillis*, & ſic de aliis, quæ videri poſſunt in præcit. Gloſs.

R E G. X L I.

Imputari non debet rei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

1 DEſumitur ex c. fin. De Elect. c. *Commiſſa* 35. eod. tit. in 6. aliiſque Juribus hic citatis a Gloſs. ex quibus caſus ita formari poteſt. Titius promotus fuit ad Eccleſiam Parochialem, unde intra annum debebat ordinari Sacerdos, ut omnibus ita promotis præcipitur a Decreto Generalis Concilii Lugdunenſi relato in c. *Licet Canon* 14. *De Elect. in* 6. Contigit tamen eo anno Titium non potuiſſe ordinari, non ex defectu ipſius, ſed quia non potuit habere Epiſcopum, a quo ordinaretur, aut quia aliquo alio impedimento ligatus fuit. Stante hoc, numquid Titius elapſo anno cenſendus erit incidiſſe in pœnam ſtatutam in eod. c. *Licet Canon* contra non ordinatos intra annum a die obtentæ Eccleſiæ, aut ſcilicet eo ipſo privatus ſit ea Eccleſia? Reſponſum eſt negative in eod. c. *Commiſſa*, quia per Titium non ſtetit non fuiſſe ordinatum, adeoque eidem imputari non debet.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ deſumitur ex reg. 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, & ex reg. 23. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſſa, non eſt aliquis puniendus*, quas ſupra explicavimus. Si enim ad impoſsibile nemo obligari poteſt, nemini imputari poteſt ad culpam, ſi id non faciat, ad quod faciendum eſt inevitabiliter

impe-

impeditus. Si autem id imputari non poteſt ad culpam, ſequitur, quod neque imputari debeat ad pęnam ex citata regula, *Sine culpa*.

3 Notandum tamen hic eſt cum Gloſs. quod quamvis inculpabiliter impedito non imputetur, ſi non faciat id, quod per eum fuerat faciendum, puta non imputetur promoto ad Parochialem Eccleſiam, non fuiſſe promotum ad Sacerdotium intra annum a die obtentæ Eccleſiæ, ſi per ipſum non ſtetit; attamen obligatio illa poſt elapſum annum non extinguitur, ſed adhuc perſeverat, unde, ceſſante impedimento, adimplenda erit: eo modo, quo ſi aliquis intra certum tempus tenetur aliquid ſolvere, non ideo erit ab obligatione ſolutus, ſi ſolvere nequiverit tempore dato; immo ad ſolutionem elapſo etiam die ſolutioni præfixo, tenetur, ut expreſſe dicitur in cap. *Cum dilecti 6. De dolo, & contumacia*. In ejuſmodi enim obligationibus terminus temporis adjicitur, non ad reſtringendam, ſeu ad finiendam illam obligationem, itaut lapſo termino ceſſet obligatio ex parte ejus, per quem non ſtetit, ſed ad ſollicitandum obligationis effectum, ideſt ad conſtituendum tempus, ut deinceps debitor in mora conſtituatur non ſolvendo, adeoque lapſus temporis non extinguat obligationem. Quam in rem etiam facit leg. *Celſus* 23. §. *idem ait, ſi juſſerit ff. de receptis arbitris*; ubi dicitur, quod ſi pecunia ſolvenda ſit certo tempore, debitor eodem tempore non ſolvens non incidit in pœnam, ſi per ipſum non ſtetit; incidit tamen, ſi poſt illud tempus per ipſum ſtet, quod non ſolvat. Quomodo autem cognoſci poſſit, utrum in particularibus obligationibus certum tempus adjectum ſit ad finiendam

obli-

obligationem, ita ut lapſo tempore ceſſet; an ad ſollicitandum obligationis effectum, & ad conſtituendum debitorem in mora, videri poteſt apud Sanchez de Matrim. lib. 1. diſp. 53. num. 1. 2. & 3.

4 Reliqua, quæ ad ulteriorem hujus regulæ intelligentiam facere poſſunt, tradentur inferius ad explicationem regulæ, *Cum non ſtat 66.* quę huic præſenti regulæ affinis eſt.

R E G. X L I I.

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

1 DEſumitur ex l. *Cum principalis* 138. & l. *Nihil dolo* 171. ff. *de reg. Juris*, c. *ſi ſuper gratia* 9. De Off. Delegati in 6. aliiſque Juribus. Caſus poni poteſt ex c. Unico, *De conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris in 6.* Quædam Eccleſia polluta fuit per injurioſam ſanguinis humani effuſionem. Contingit autem eidem Eccleſiæ eſſe annexum, & contiguum cęmeterium pro ſepeliendis Corporibus Fidelium mortuorum. Quæſitum eſt, utrum in eo caſu cenſeri quoque debeat pollutum cęmeterium, itaut ante reconciliationem non poſſit in eo aliquis ſepeliri? Ad hoc reſpondit Bonif. VIII. in cit. cap. Unic. *De conſecr. Eccleſiæ in 6.* cenſeri debere pollutum, & antequam reconcilietur, non debere in eo aliquem ſepeliri; quia ſcilicet cęmeterium eſt acceſſorium ad Eccleſiam; acceſſorium autem ſequitur naturam ſui principalis. Sed ponamus econtra, quod humanus ſanguis fuerit injurioſe effuſus in cœmeterio, adeoque cœmeterium pollutum ſit; numquid per hoc præciſe cenſenda erit polluta etiam Eccleſia, cui cęme-

terium

terium contiguum eſt? Reſponſum eſt ibid. negative: quia Eccleſia eſt principalis, & cœmeterium eſt acceſſorium; principale autem non ſequitur naturam acceſſorii, ſed ſed e converſo acceſſorium ſequitur naturam principalis. Demum ſupponamus eidem cęmeterio, ubi humanus ſanguis injurioſe effuſus eſt, eſſe contiguum aliquod aliud cœmeterium pariete tantum intermedio ſejunctum; immo itaut ab uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus; numquid in tali caſu cenſeri debet etiam violatum illud aliud cœmeterium? Reſponſum ibidem eſt negative: quia illa duo cęmeteria non ſe habent ad invicem tamquam acceſſorium, & principale, ſed ad ſummum tamquam duo acceſſoria relate ad Eccleſiam. Pręſens autem regula Juris non dicit quod unum acceſſorium ſequatur naturam alterius acceſſorii, ſed ſolum quod acceſſorium ſequatur naturam principalis.

2 Pro clariori hujus regulæ intellectu, & pro facili ſolutione difficultatum, quæ ex pluribus Juribus contra hanc regulam objici poſſent, notandum eſt ex Barb. in explicatione præſentis regulæ num. XI. in hac materia illud appellari principale, quod per ſe ſtat, & propria veluti virtute ſubſiſtit; acceſſorium autem dici, quod illi ineſt, & accidit, eo proportionaliter modo, quo in phyſicis accidens ineſt, & accedit ſubſtantiæ. Multipliciter autem pro re præſenti dici poteſt aliquid ineſſe, & accedere tamquam acceſſorium alteri rei: primo per hoc, quod ita ſit neceſſarium rei, ut ſine eo res redderetur prorſus inutilis, & nulla, cujus exemplum habes in cit. cap. *Si ſuper gratia* 9. *De* *eſſ.*

ff. Delegati in 6. ubi dicitur, quod ſi Papa alicui gratiam fecerit, & ſuper ea executores deputaverit, ſi poſtea contingat Papam mori ante executionem, ſicut ea morte non perimitur gratia conceſſa, ita nec etiam re integra perimitur executoribus data poteſtas, quam veluti gratiæ prędictę acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis, quia ſcilicet ea poteſtas data executoribus ita neceſſaria eſt ad gratiam, ut ſine ea poteſtate, gratia redderetur inutilis & nulla. Secundo dici poteſt aliquid accedere, & ineſſe tamquam acceſſorium alteri rei per hoc, quod ſit quædam portio, ſeu pars illius rei. In hoc ſenſu adhibetur appellatio acceſſorii in l. *Cum autem* 19. §. *Perveniamus* ff. *de auro, & argento legato*, ubi gemmæ ad ornamentum oppoſitæ vaſibus aureis, aut argenteis vocantur acceſſoriæ relate ad eadem vaſa. Tertio dicitur aliquid ineſſe, & accedere alteri, eo quod vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione legis, vel ex voluntate partium, ita comitatur alterum, ut ſemper illud ſequatur. Quarto demum appellatur acceſſorium rei id, quod ab illa dependet tamquam effectus immediatus a ſua cauſſa, quam in rem facit. l. *Verum* 40. *de furtis*.

3 Notandum præterea eſt, poſſe nonnunquam contingere, quod aliquid habeat figuram acceſſorii reſpectu alterius, vere tamen, & proprie acceſſorium non ſit, eo quod idem principaliter conſideretur a Jure, & tamquam propria virtute ſubſiſtens. Exemplum habens ex cap. *Debitores 6. De jurejurando*, videlicet de juramento, quo quis jurat ſe ſervaturum promiſſionem aliquam, quam facit. Quamvis enim jura-

juramentum illud videatur habere figuram acceſsorii, attamen vere, & proprie non eſt acceſſorium, ſed principale, quia illud principaliter eſt quod conſideratur: unde etiamſi promiſſio ſit de ceteroquin invalida, attamen juramentum ejuſmodi promiſſionis confirmativum obſervari debet, ſuppoſito quod obſervari poſſit ſine peccato.

4 His prænotatis, ſenſus pręſentis regulæ eſt id, quod vere, & proprie aliquo ex prædictis modis eſt acceſſorium, ſequi debere naturam, hoc eſt vim, conditionem, & qualitatem ſui principalis, ac proinde, conceſſo principali, cenſeri etiam conceſſum id, quod vere, & proprie eſt acceſſorium; niſi tamen acceſsorium ſit ita arduum, ut de eo non fuerit veriſimiliter cogitatum, aut quod non eſset veriſimiliter in ſpecie conceſſum, ſi cogitatum eſſet, ut colligitur ex reg. 81. *De reg. juris in 6.* infra explicanda: item reſciſſo principali cenſeri quoque reſciſsum acceſſorium, ut notat etiam Gloſs. in l. *Si Patronus* 3. ff. *Si quid in fraudem Patroni*, & ſic de aliis ſimilibus. Quę tamen ex nuper dictis intelligenda ſunt de eo, quod eſt vere, & proprie acceſſorium: ſecus enim accideret, ſi non conſideraretur ut acceſſorium, aut ſi peculiaris ratio validitatis pro eo militaret; quia tunc ejus validitas non penderet a validitate principalis, unde invalidato principali, non propterea ipſum redderetur invalidum. Ita Card. Tuſch. littera *A* concl. 76. num. 34. alii plures citati a Barboſ. hic num. 8.

5 Notandum tamen hic eſt, doctrinam iſtam, & præſentem Juris regulam de acceſſorio ſe-

quente naturam principalis non converti, quia licet acceſſorium ſequatur naturam principalis, at principale non ſequitur naturam acceſſorii. Inde fit quod ſicut ex acceſſorio legitimo non redditur legitimum principale, quod ceteroquin de ſe vitioſum ſit, l. *ex pupillari* 44. ff. *de vulgari*, & *pupillari ſubſtitutione*; ita pariter ex acceſſorio vitioſo non vitiatur principale, quod ceteroquin de ſe validum ſit, ut colligitur ex l. *fundi* 8. ff. *quibus modis uſusfructus*. Huc etiam facit textus expreſſus in l. *Poſtquam* 3. ff. *de pactis*; ubi dicitur, quod ſi pignus debitori reddatur ante ſolutionem debiti, adhuc debitum perſiſtit, nec cenſetur condonatum per pignoris reſtitutionem. Cujus rei ratio eſt: quia pignus eſt quoddam acceſſorium indutum ad ſecuritatem debiti principalis: extincto autem, vel remiſſo acceſſorio non eo ipſo cenſetur extingui, & remitti ipſum debitum principale. Secus accidit, ſi debitori reddatur inſtrumentum, ſeu chirographum ſuæ obligationis, quia cum in eo chirographo contineatur ipſum debitum, per ejuſdem chirographi redditionem, præſumitur etiam debitum condonari, ut ſumitur ex l. 2. ff. *De pactis*.

6 Contra regulam hactenus explicatam objici poteſt textus in authent. ex cauſſa C. *De liberis præteritis*, *vel exheredatis*, ubi dicitur, quod ſi teſtamentum ſit irritum quoad inſtitutionem heredis, ex eo quod in eo abſque cauſſa legitima ſint exheredati filii; attamen legata, aliaque Capitula in eodem teſtamento contenta valida ſint: atqui ea legata ſunt acceſſoria ad inſtitutionem heredis: ergo falſum eſt, quod acceſſorium ſequatur naturam principalis. Reſpon-

ſpondetur, caſum illum eſſe ſpecialem ex expreſſa deciſione Imperatoris, cujus ratio eſſe poteſt: quia eatenus præciſe teſtamentum illud irritum eſt, quatenus abſque cauſſa eſt præjudicatum filio. Filio autem præjudicatum eſt ſolum quoad inſtitutionem heredis, non autem quoad legata, aliaque ſimilia in teſtamento contenta: ergo ſolum irritari debet teſtamentum, quoad inſtitutionem heredis. Poteſt etiam huic caſui applicari id, quod ſupra diximus, videlicet acceſſorium non ſequi naturam principalis, quando in acceſſorio militat diverſa, & peculiaris ratio, ratione cujus non conſideratur, ut acceſſorium, ut accidit in præſenti caſu, qui propterea non eſt huic regulæ contrarius.

R E G. XLIII.

Qui tacet, conſentire videtur.

1 DEſumitur ex c. *Nonne bene dicimus* 5. *De præſumptionibus* ex l. 2. §. *Voluntatem* ff. *ſoluto Matrimonio*, aliiſque Juribus. Exemplum ſumi poteſt ex eod. c. *Nonne*. Quidam Judæi contendentes cum Chriſto Domino, protulerunt contra ipſum blaſphemam illam injuriam: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dęmonium habes? Reſpondit Jeſus. Ego dęmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum &c. Super quæ verba ſic habet S. Greg. in Homil. 18. in cap. 8. Joannis: quia enim Samaritanus interpretatur cuſtos, & ipſe veraciter cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait: Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, in vanum vigilant, qui cuſtodiunt eam, reſpon-

dere noluit Dominus: Samaritanus non ſum, ſed ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt; unum negavit, aliud tacendo conceſſit. Cuſtos namque humani generis venerat, & ſi Samaritanum ſe eſſe non diceret, eſſe ſe cuſtodem negaret. Hactenus S. Doctor, ex cujus mente ſi quis ex duobus ſibi propoſitis unum tantum negat, eo ipſo alterum videtur tacendo fateri, unde etiam deſumpta præſens reg. Juris. *Qui tacet conſentire videtur*.

2 Hæc regula ſi nude inſpiciatur, & extra limites interpretationis legitimæ, in pluribus caſibus videbitur eſſe falſa, quia pluries accidit tacentem non reputari tamquam conſentientem, ut in decurſu patebit. Propterea difficultas in re præſenti eſt aſſignare aliquod generale principium, ad quod reducuntur caſus omnes, in quibus locum habet regula, præſens, ſeu tacens habetur pro conſentiente, ſub quo principio non comprehenduntur reliqui caſus omnes, in quibus, qui tacet non præſumitur conſentire: & in hoc principio aſſignando Canoniſtæ laboraverunt, & in varias ſententias diſtracti ſunt, quarum aliquas indicat Gloſs. in eodem cap. *Nonne*, v. *tacendo*.

3 Una ſententia eſt, quam ibid. indicat eadem Gloſs. videlicet diſtinguendum eſſe, utrum agatur de amittenda re propria, an de nulla re amittenda agatur. In primo caſu docet tacentem non haberi pro conſentiente, quia in dubio nemo præſumitur velle amittere rem propriam, ſi præſertim eam multo labore, & impenſis acquiſivit; ſecus autem ubi nullum rei ſuæ damnum patitur.

4 Hæc ſententia impugnatur a Panor. in cit.

cap.

cap. *Nonne* n. 1. quia etiam, ubi agatur de dominio rei amittendo, poteſt nonnumquam tacens haberi pro conſentiente, ut patet ex c. *Si Servus ſciente* 20. diſt. 54. ubi dicitur quod ſi ſervus ſciente, & non contradicente Domino ſuo, in Clero fuerit Ordinatus, ex hoc ipſo liber, & ingenuus erit: quod exinde procedit, quia Dominus illius ſciens, & non contradicens cenſetur conſentire; & tamen ibi agitur de amittendo dominio Servi. Idem etiam patet ex l. *Servus* 38. ff. *de Donationib. inter virum, & uxorem*, ubi dicitur, quod ſi Vir uxori ſuæ ſervum donet, quem communem habebat cum ſuis fratribus, idque fratres ipſi videant, & taceant; cenſentur iidem fratres conſentire donationi; & ſic de aliis pluribus.

5 Paullo diſſimilis ſententia eſt, quam tradit Innoc. in c. *in Geneſi de Elect.* & ſequitur Gloſs. ad ſeq. regulam v. *is qui tacet*, aliique Doctores plurimi, nempe diſtinguendum eſſe, utrum agatur de re meritoria, honorabili; aut concupiſcibili; an potius de re oneroſa, ſeu præjudiciali. In primo caſu docent, tacentem haberi pro conſentiente, cujus exemplum eſt in l. *qui patitur* 18. ff. *Mandati*; ubi dicitur quod ſi quis, te præſente, & non contradicente, præcipiat alteri, ut aliquid tibi det, cenſeris conſentire, immo mandatum illud cenſetur factum ex commiſſione tua, quia videlicet pertinet ad tuam utilitatem illud dari tibi; at in ſecundo caſu, in quo agitur de re oneroſa, tacentem non haberi pro conſentiente, ad quod adducunt textum in leg. *filius familias* 8. §. *Invitus* ff. *de Procuratoribus*, ubi cum præmiſſum eſſet non eſſe ſolitum eligere Procuratorem

invitum, ſubjungitur, & declaratur nomine Procuratoris inviti intelligi debere non eum tantum, qui contradicit, ſed eum quoque, qui tacendo non conſentit expreſſe.

6 Sed contra hanc ſententiam objici plura jura poſſunt, ex quibus conſtat non eſſe univerſaliter, & abſque pluribus exceptionibus admittendum, non haberi tacentem pro conſentiente, quando agitur de re ipſi oneroſa, ut patet ex dictis contra primam ſententiam; ad quod etiam facit l. *Cum oſtendimus* 4. §. *Fidejuſſores* ff. *de fidejuſſorib. tutorum*, ubi dicitur quod fidejuſſores a tutoribus nominati, ſi præſentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina ſua referri in acta publica paſſi ſunt, habentur pro conſentientibus, & c. 2. *De his, quæ fiunt a Prælato*, ex quo colligitur, quod ſi alienatio alicujus rei a Prælato fiat, ſciente, & non contradicente Capitulo, cenſetur facta Capitulo conſentiente.

7 Demum tertia ſententia eſt, quam ſequitur Gloſ. in cit. c. *Nonne* v. *tacendo*, aliique plurimi citati a Barb. in commentario hujus regulæ in 6. qui diſtinguunt inter actus, quos tacens poterat impedire contradicendo, & inter illos, qui eo etiam invito, & contradicente valide celebrantur. Circa primos actus docent, taciturnitatem præſumi pro conſenſu; quam in rem videtur facere exemplum nuper relatum ex c. 2. *De his, quæ fiunt a Prælato, &c.* de conſenſu præſumpto Capituli, quando ſcivit, & non contradixit alienationi factæ a Prælato, quia ſcilicet poterat Capitulum contradicendo impedire eam alienationem; unde ſi non contradixit præſumitur conſenſiſse: at circa actus ſe-

ſecundi generis docent, taciturnitatem non haberi pro conſenſu.

8 Hæc etiam ſententia plures inſtantias patitur, quia non ſemel contingit, actum aliquem fieri, quem aliquis poterat contradicendo impedire, & tamen ſi is præſens ſit, & taceat, non propterea præſumitur conſentire. Exemplum habes ex materia *De pignoribus*: venditio enim, & alienatio rei pignori obligatæ, ſicut & rei alienæ, eſt ex eo genere actuum, quod impediri poteſt a Domino ejuſdem rei, ſeu a Creditore, cui res per modum pignoris obligata eſt; & tamen ſi tacente, & præſente Creditore, ea pignoris venditio a debitore fiat, non eo ipſo cenſetur Creditor conſentire, ut conſtat ex l. *Sicut* 8. §. *non videtur* ff. *Quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvitur*.

9 Non obſtantibus his, aliiſque ſimilibus difficultatibus, ut clarius habeatur intellectus regulæ, & etiam præmiſsæ ſententiæ, quantum fieri poteſt, omnes in vero ſenſu concilientur; prænotandum eſt, quod, ſi tacens ignoret actum fieri, numquam cenſebitur conſentire. Ratio eſt: quia ſicuti conſenſus verus, & realis numquam datur, niſi circa objectum cognitum, juxta illud commune principium: nihil volitum quin præcognitum; ita conſenſus a jure præſumptus dari non poteſt circa objectum ignoratum, ut clare deſumitur ex l. *Nihil* 116. §. *Non videntur* ff. de reg. Juris.

10 Pro caſu igitur actus non ignorati procedit præſens regula Juris, cujus ſenſus ille facilior eſſe videtur, qui colligitur ex Panorm. in cit. c. *Nonne* n. 1. ubi dicit pro definiendo, utrum hic, & nunc taciturnitas haberi debeat pro conſenſu, utendum eſſe conjecturis, & rationabi-

libus argumentis, quæ in aliquo caſu particulari dantur pro conſenſu; in alio autem caſu pro diſſenſu. Ubi autem nulla ejuſmodi rationabilis conjectura ſit pro diſſenſu, ſed tantummodo res definienda ſit ex argumento taciturnitatis, tunc locum habet regula præſens, ita ut ſcilicet tunc conſenſus præſumi debeat. Fundamentum hujus prȩſumptionis eſt, quia unicuique hominum eſt valde naturale contradicere iis, quæ fieri nolunt, & contradicendo oſtendere proprium diſſenſum. Stante ea naturali inclinatione, ſi quis actui non contradicat prudenter arguitur eidem actui conſentire, niſi tamen rationabile motivum appareat quare non contradicat, etiamſi actui non conſentiat, ut puta, quia impeditur a contradicendo. In hoc ſenſu procedit iſta regula Juris, ut ſcilicet tacens conſentire prȩſumatur, ubi nulla in contrarium detur fortior conjectura de non conſenſu.

11 Huc etiam faciunt ea, quæ ſupra diximus ad reg. 8. *Semel malus, &c.* ubi de prȩſumptionibus ſermo fuit, earumque ſpeciebus, videlicet de præſumptione Juris tantum, quæ facile admittit probationem in contrarium, & de præſumptione Juris, & de Jure, quæ non admittit probationem in contrarium niſi petitam ex manifeſtiſſimis rationibus, ut ibidem explicatum eſt. Præſumptio enim conſenſus in eo, qui prȩſens eſt actui, & tacet, eſt ex eo genere præſumptionis, quæ eſt præſumptio Juris tantum, adeoque probationem in contrarium facile admittit, quæ probatio in contrarium reſultare poteſt ex aliqua rationali conjectura, ex quibus arguatur taciturnitatem illam non ex conſenſu proceſſiſſe, ſed aliunde.

12 Ex

12 Ex hac doctrina conciliari facile poſſunt ſupra relatæ ſententiæ, ſimulque explicari, quare ad caſus contra illas objectos non extendantur. Quando agitur de re favorabili, aut concupiſcibili dici poteſt tacens haberi pro conſentiente, non quia rei favorabilitas id ſemper, & univerſaliter obtineat; ſed quia in re favorabili ſolet plerumque nulla eſſe conjectura in contrarium, & aliunde homines ſolent eſſe propenſi ad res ſibi favorabiles. Quod ſi aliquando in contrarium fortior aliqua conjectura detur, tunc ceſſat præſumptio conſenſus. Eodem modo, quando agitur de re oneroſa dici poteſt tacens non haberi pro conſentiente, non quod ex ipſa rei oneroſitate univerſaliter id inferatur, ſed quia in re tali ſolet plerumque apparere fortior aliqua conjectura contra præſumptionem conſenſus. Ceterum ſi aliquando nulla ſit talis conjectura contra præſumptionem conſenſus, etiam tunc ex taciturnitate præſumitur conſenſus, ut patet in caſibus ſupra relatis, puta in caſu Domini videntis, & tacentis ad Ordinationem Servi; in caſu Capituli tacentis ad alienationem alicujus rei factam a Prælato, & ſic de reliquis.

13 Item ex eadem doctrina ſolvi facile poſſunt argumenta illa, quæ ex pluribus textibus objici ſolent contra præſentem regulam: quia ſi quando in aliquo particulari caſu tacens non habetur pro conſentiente, id provenire ſolet vel ex eo quod actum ignorat, ſeu ignorare præſumitur, ut ex leg. Cajus 39. ff. *de ignorantiæ actione*, eſt exemplum, qui tamquam teſtis obſignet aliquod teſtamentum, in

quo aliquid ipſi præjudiciale contineatur : ille enim ex hoc præciſe quod ut teſtis obſignaverit, non eo ipſo præſumitur conſentire damno ſuo, quia obſignans teſtamentum poteſt eſse ignarus negotii, quod in inſtrumento contineatur, ut plerumque apparet in teſtibus inſtrumenta obſignantibus; vel ſaltem id provenire poteſt ex aliqua alia fortiori conjectura, quæ ex circumſtantiis hic, & nunc contingentibus colligi poteſt.

14 Dubitari poteſt, utrum Mulier tacens, quando ejus res pignori dantur a Marito, & utrum filius tacens, quando de propriis ejus rebus Pater diſponit, dici debeant conſentire? Sed de hoc videri poteſt Barb. in hanc reg. n. 16. & 19.

R E G. XLIV.

Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.

1 DEſumitur ex l. *Qui tacet* 184. ff. de regul. Juris, & ex aliis hic citatis a Gloſs. Exemplum ſumi poteſt ex cap. 2. *De confeſſis in 6.* Titius in cauſsa ſive civili, ſive criminali ductus ad Judicem, interrogatus fuit de quibuſdam rebus, ſuper quibus reſpondere non obligabatur ex aliqua rationabili, & legitima cauſsa, ac de facto ſuper ipſis reſpondere recuſavit. Numquid in eo caſu Titius habendus pro confeſſo, itaut ſcilicet per interpretationem Juris ea reſponſionis recuſatio accipienda fuerit tamquam affirmatio, ſive confeſſio ejus, de quo interrogatus eſt? an e converſo interpretanda fuit tamquam negatio? Reſponſum eſt, eam reſpon-

reſponſionis recuſationem ex cauſsa legitima procedentem, neque accipiendam fuiſse tamquam affirmationem, neque tamquam negationem ejus rei, de qua facta eſt interrogatio: quia qui tacet, neque fatetur, neque negat.

2 Hæc regula, ſi non intime aſpiciatur, videbitur fortaſse contraria reg. præced. ubi ex taciturnitate dicitur præſumi conſenſus; & ideo Doctores nonnulli non attendentes diverſitatem verborum utriuſque regulæ, valde laboraverunt in utraque concilianda. Notandum itaque diligenter in præc. reg. ſermonem eſſe de conſenſu ex taciturnitate præſumpto, qui conſenſus eſt actus voluntatis dicens complacentiam, ſeu approbationem ejuſdem voluntatis; at in præſenti reg. ſermo eſt de confeſſione, & negatione, qui ſunt actus intellectus circa verum, aut falſum. Regulæ igitur iſtæ circa diverſos terminos procedunt, ideoque nullam inter ſe contrarietatem habent.

3 Legitimus ergo hujus reg. ſenſus eſt, ex ſola taciturnitate non induci præſumptionem affirmationis; aut negationis, itaut, qui ad aliqua tacet, eo ipſo videatur illa affirmare, vel videatur illa negare: tacere enim eſt quoddam medium inter affirmare, & negare: ex eo autem, quod eſt medium inter duo extrema, regulariter non infertur alterutrum extremorum.

4 Hoc tamen intelligendum eſt juxta ea, quæ paullo ante dicebantur in explicatione regulæ præced. ſi videlicet nulla detur in contrarium fortior aliqua conjectura, ſeu aliqua particularis circumſtantia taciturnitatis, unde appareat, taciturnitatem illam interpretandam eſſe pro affirmatione; ut contingeret v. gr. ſi quis ad

duo ſibi objecta reſponderet negando unum, & tacendo de altero, aut e converſo affirmando unum, & tacendo de altero: in eo enim caſu taciturnitas illa ſuper uno ſolum objecto, quando aliud objectum negat, accipitur pro confeſſione; & taciturnitas de uno objecto, quando aliud objectum affirmat, accipitur pro negatione; quia ex eo quod ex duobus ſibi objectis ſeſe ad unum reſtrinxerit, illud negando, vel affirmando, conjicitur oppoſitum circa aliud, nempe affirmatio, vel negatio, & ita procedit in terminis caſus ille expreſſe in cap. *Nonne*, ex quo figuravimus exemplum in explicatione regulæ præcedentis.

5 Alia quoque taciturnitatis circumſtantia fundans præſumptionem confeſſionis eſt, de qua agitur in cit. c. 2. *De confeſſis in 6.* quando videlicet aliquis reus, vel procurator ipſius legitime interrogatus a Judice juſſuſque reſpondere abſque rationabili cauſſa recuſet, aut nolit, ſeu contumaciter ſe abſentet; tunc enim haberi debet pro confeſſo ſuper iis, de quibus fuit interrogatus. Ratio hujus præſumptionis eſt manifeſta: quia in ea circumſtantia interrogationis legitime factæ a Judice, ſi reus abſque rationabili cauſſa reſpondere nolit, argumentum eſt ipſum negare non poſſe, quod objectum eſt, cum unicuique hominum, naturale ſit ea negare, quæ ſibi objiciuntur, quando ex iis aliquod damnum imminet; unde ſi ea hic, & nunc non negant, nec aliunde apparet alia rationabilis cauſſa tacendi, præſumi poſſunt ea non negare, quia ſunt a veritate convicti.

REG.

Inſpicimus in obſcuris , quod eſt veriſimilius , vel quod plerumque fieri conſuevit .

1 DEſumitur ex l. *in obſcuris* 114. ff. *de reg. Juris*, *aliiſque hic* citatis a Gloſ. Exemplum ſumi poteſt ex c. *Inter dilectos 6. de fide inſtrumentorum*. Agebatur de quodam inſtrumento, in quo pars ſigilli quatenus deleta erat, ubi nomen Principis continebatur, & propter quaſdam litteras ejus nominis deficientes, dubium erat, an legendum eſſet Lotharius, an potius Luithardus. In ea dubitatione dictum fuit legendum potius eſſe Lotharium, quia inter L, & T, quæ remanebant, ita parvum erat ſpatium, ut non fuerit veriſimile fuiſſe interpoſitas duas litteras, nempe u. & i. ſed potius unicam, nempe O: item inter R. & V. quæ remanebant, ita modicum ſpatium erat, ut veriſimilius eſſet fuiſſe interpoſitam litteram i. quæ minus ſpatium occupat quam d. In obſcuris autem inſpicimus, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.

2 Senſus, & utilitas hujus regulæ ſatis patet ex iis, quæ ſupra dicta ſunt in explicatione regulæ: *In obſcuris minimum eſt ſequendum*, quæ eſt trigeſima hujus tituli, quibus tantummodo pro re præſenti addendum eſt, nomine veriſimilis illud intelligi, quod eſt juri, vel naturæ rei conforme, ut explicat Menoch. conſ. 191. Hinc patet fundamentum hujus regulæ: nam in obſcuris, hoc eſt, ubi nihil certum eſt, ſequi debemus, quod magis accedit ad verum, aut quod in communi conſuetudine frequentius eſt, quia etiam

etiam conſuetudo eſt legitima interpres, itaut nonnumquam habeatur etiam pro lege.

R E G. XLVI.

Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

1 DEſumitur ex l. *Qui in jus* 137. l. *Aliud* 210. §. fin. & l. *Nemo plus* 54. ff. de reg. Jur. aliiſque textibus. Caſus figuratur ex c. *Dilecti filii* 17. *De foro competenti*. Titius impetravit a Summo Pontifice reſcriptum, per quod committebatur cuidam Abbati cauſſa pecuniaria cognoſcenda inter ipſum Titium, & Cajum. Antequam tamen Titius eo reſcripto uteretur, contigit Cajum mori. In eo caſu dubitatum eſt, utrum vigore ejuſdem reſcripti poſſit obtinere Titius, ut conveniatur heres Caji, & ad ſolvendum compellatur ſi conſtiterit Cajum fuiſſe debitorem? Ratio dubitandi eſt: quia poteſtas conceſſa Delegato non extenditur ultra perſonas expreſſas in ipſo reſcripto delegationis, ut conſtat ex c. *P. & G.* 40. *De off. Deleg.* Atque in prædicto reſcripto perſonæ, ſuper quibus conceſſa fuit Delegato poteſtas, & juriſdictio, expreſſi fuerunt tantum Titius, & Cajus: ergo non poterat ea delegata juriſdictio propagari etiam ad heredem Caji.

2 Hoc tamen non obſtante, decretum eſt in eo caſu potuiſſe vigore ejus reſcripti conveniri heredem Caji, quia heres ille ſucceſſit in omnia jura Caji non ſolum activa, nempe in credita, ſed etiam in paſſiva, videlicet in debita, ex qua ratione dicitur in Jure, quod heres repræſentat perſonam defuncti, cujus heres eſt: ergo debuit eo jure uti, quo uſus eſſet Cajus

ſi

ſi vixiſſet; adeoque ſicut ſi vixiſſet Cajus, potuiſſet per illud reſcriptum conveniri, ita pariter conveniri potuit ejus heres. Nec obſtat cit. c. *P. & G.* quia, illud intelligitur, quando perſonæ, quæ in reſcripto delegationis non exprimuntur, ſunt omnino alienæ, ſupra quas non propagatur juriſdictio delegata; at in præſenti caſu heres Caji non eſt perſona omnino aliena, immo per fictionem juris cenſetur eſſe idem cum Cajo.

3 Ex his patet ſenſus, & fundamentum præſentis regulæ. Si enim Succeſſor, & heres cenſetur idem cum defuncto, manifeſtum eſt, idem quoque cenſendum eſſe jus utriuſque, non ſolum quoad favorabilia, ſed etiam quoad oneroſa, quia ut eſt regula infra explicanda: *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra*. Ubi tamen adverte cum Gloſ. illam particulam regulæ, *eo jure*; quia regula hæc intelligitur quoad jura, quæ a defuncto tranſeunt in heredem, non autem quoad privilegia, quæ ſi perſonalia ſint, extinguuntur cum perſona, ut conſtat ex reg. 7. ſupra explicata. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona*. Item hæc reg. non extenditur ad eas obligationes perſonales, de quibus expreſſo jure cautum ſit, ne tranſeant ad Succeſſorem, cujus rei exemplum eſt in c. *Niſi* 21. de præben. ubi controverſia inter Titium, & Cajum ſuper beneficio, ad quod ambo electi fuerunt, cum compoſitio ab Arbitris facta eſſet ea lege, ut Titius Beneficium haberet, ſed ex proventibus Beneficii ſolveret aliquid annuatim Cajo, dicitur ea compoſitio tolerari poſſe, dummodo tamen obligatio impoſita Titio ad

ſol-

ſolvendum aliquid Cajo terminaretur in Titio, eoque defuncto, non tranſiret in ejus Succeſſorem, cujus ratio ibidem affertur: quia ſcilicet ſi obligatio illa tranſiret etiam in Succeſſorem Titii, videretur obligatio impoſita ipſi Beneficio, & facta eſse aliqua ejuſdem diminutio, quod per Sacros Canones non licet, ut conſtat ex rubr. *Et Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur*. Ejuſdem quoque exceptionis exemplum ſumitur ex c. *Si diligenti* 12. aliiſque. *De foro competenti*, & ex c. Unico. *De Jure patronatus in* 6. Nam ſi Clericus ſit Succeſſor Laici, quamvis Laicus ille eſſet ſubditus Judici Sæculari, at Clericus ſucceſſor nonniſi Judici Eccleſiaſtico ſubjectus eſt etiam in civilibus, & patrimonialibus; & ſi Juſpatronatus ex Laico tranſeat in Eccleſiam, quamvis Laicus haberet jus præſentandi intra ſolum tempus quadrimeſtre; at Eccleſia, quæ ſuccedit, habet jus præſentandi intra tempus ſemeſtre, quia id eſt ſpecialiter ſtatutum pro patrono Eccleſiaſtico, & ſic de aliis ſimilibus.

4 Objici poteſt contra regulam textus in l. *Procula* 26. ff. *de probationibus*, ubi dicitur quædam mulier non potuiſſe ab herede ſui fratris fideicommiſſum quoddam exigere, quod ceteroquin a ſuo fratre defuncto exigere potuiſſet. Sed facile reſpondetur ex ipſo textu ejuſdem legis, in tantum in eo caſu non potuiſſe illud exigere ab herede, in quantum ex variis circumſtantiis erat legitima præſumptio, eamdem mulierem ſuo fratri viventi illud debitum remiſiſſe, & tacite condonaſſe: ſuppoſita autem debiti condonatione, non poteſt amplius illud debitum exigi.

REG.

REG. XLVII.

Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

1 DEſumitur ex l. *Verius* 21. ff. *de probat.* aliiſque juribus. Caſus figuratur a Gloſ. ex ead. l. *Verius*. Ad cujus intellectum ſciendum eſt, quod ſi teſtator rem aliquam alienam habet, de qua faciat legatum in favorem Titii; tunc vel teſtator ſcivit rem illam alienam eſſe, vel ignoravit. Si ſcivit, tenetur heres a legitimo Domino redimere ſi poſſit, ut tradat illam legatario; ſi autem non poſſit redimere, tenetur ſaltem dare legatario æſtimationem ejuſdem rei: ſecus autem, ſi teſtator id ignoravit. Hoc ſuppoſito, poſt mortem teſtatoris petit Titius legatum ſibi relictum. At heres in contrarium reſpondet legatum illud non valere, quia factum erat de re aliena. Titius replicat, quod etiam legatum de re aliena factum ſolvi debet, quia teſtator ſciebat rem illam eſſe alienam. In hoc caſu certum eſt, quod ſi legitime probetur teſtatorem id ſciviſſe, valebit legatum, ut dictum eſt. Sed ſupponamus nulla afferri argumenta ad probandam eam ſcientiam teſtatoris, pro qua parte judicandum erit? Reſp. ex hac reg. Juris judicandum eſſe pro ignorantia, ſeu teſtatorem ignoraſſe rem illam alienam eſſe, quia in dubio præſumitur illud ignoraſſe, quod non probatur ſciviſſe: & propterea in eo caſu tenetur legatarius probare ſcientiam.

2 Senſus, & intellectus iſtius regulæ pendet ab intelligentia regulæ 13. ſupra explicatæ: *Ignorantia facti, non juris excuſat*, ex qua

Dy-

Dynus, & alii communiter explicant præſentem regulam, ut tantummodo procedat circa probabilem ignorantiam facti. In dubio enim illa ſolum ignorantia præſumi poteſt, quæ verſatur circa ea, quæ quis neque ſcire, neque indagare tenetur, qualia ſunt facta aliena non ita publice geſta, quæ ut dicitur in leg. 2. ff. *De Jur. & facti ignor.* etiam prudentiſſimi homines ignorare poſſunt. Secus accidit in iis, quæ quis ſcire, aut indagare tenetur, aut quæ ita palam, & publice geſta ſunt, ut ſit hominis nimium ſecuri, & ſupini illa ignorare: in his enim non præſumitur ignorantia, ſed in dubio præſumitur potius ſcientia, ut docet Gloſ. ad præſentem regulam.

R E G. XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.

1 DEſumitur ex l. *Jure naturæ* 206. ff. *de reg. Jur.* l. *Nam hoc natura* 14. ff. *de conditione indebiti*, aliiſque juribus. Exemplum ſumitur ex l. *Naturaliter* 13. §. ff. eod. Titius mutuavit pupillo pecuniam ſine auctoritate Tutoris, qua pecunia ipſe pupillus utiliter uſus eſt, itaut ex illa factus fuerit locupletior. Poſtea idem pupillus factus pubes pecuniam Titio reſtituit. Sed cum poſt aliquod tempus animadverteret eſſe privilegium pupilli, ut non poſſit cum eo contrahi abſque auctoritate Tutoris, voluit repetere a Titio pecuniam tamquam indebite reſtitutam: numquid in eo caſu audiendus fuit? Reſp. eſt negative: quia ex ea pecu-

nia

nia factus fuit locupletior: æquum autem non eſſet ipſum fieri locupletiorem cum damno, & detrimento Titii.

2 Fundamentum hujus regulæ tantum petitur ex æquitate naturali, de cujus ratione eſt, ut nemo ex alterius damno ſuum commodum aucupetur, cui æquitati ſervandæ ſacri Canones diligenter invigilant. Ex hac eadem ratione procedit id, quod ſupra diximus ad regul. 15. *Odia reſtringi, &c.* ubi dictum eſt, conceſſiones, & privilegia, quatenus tendere poſſent in præjudicium tertii, ſtricte accipienda eſſe, itaut nihil, vel minimum, quantum fieri poteſt, illi præjudicent.

3 Notandum autem hic eſt cum Dyno diſcrimen, quod intercedere videtur inter præſentem regulam Canonicam, & inter citatam reg. Juris civilis, unde hæc regula deſumpta eſt; quod in regula civili ponitur detrimentum, & injuria cum particula copulativa, dicitur enim; *jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, ac injuria fieri locupletiorem;* at in reg. Canonica ponitur disjunctive *injuria, vel jactura*, quæ mutatio proceſſiſſe videtur ex majori æquitate, cui Sacri Canones ſtuduerunt: quia ſicut fieri locupletiorem afficiendo alterum injuria ſimul & jactura, ita, & afficiendo ſolum alterutra videtur eſſe contra regulas æquitatis.

4 Notandum præterea eſt, regulam iſtam eo tendere, ut excludat capturam lucri ex aliena injuria, vel jactura factam auctoritate privata, & abſque aſſiſtentia legis. Si enim locuples fias ex aliena re, cujus dominium legitime acquiras ex conceſſione legis, non peccas contra regulam. Exemplum habes ex rubr. *de Præſcript*

Si

Si alienam rem bona fide poſſideas tanto temporis ſpatio, quantum ſatis eſt ad præſcribendum, elapſo eo tempore, ejuſdem rei dominium tuum eſt, ſuppoſito quod reliquæ omnes circumſtantiæ concurrant, quæ ad legitime præſcribendum requiruntur, de quibus fuſe diximus in explicatione regul. 2. & 3. hujus tituli in 6. Locupletaris igitur cum aliena jactura, ſed ex conceſſione legis, per quam ex motivo publicæ utilitatis, & ne alioquin dominia rerum ſint nimis incerta, & litibus obnoxia, ſtatutum eſt, ut poſſeſſio tanti temporis bona fide continuata cum talibus circumſtantiis fundet prẹſcriptionem.

R E G. XLIX.

In pẹnis benignior eſt interpretatio facienda.

1 DEſumitur ex l. *factum cuique* 197. §. in pœnal. ff. *de reg. Juris*, l. penult. ff. *de pẹnis*, c. pẹnæ 18. de pœnit. diſt. 1. aliiſque juribus. Caſus figuratur a Gloſ. ex c. *Ex litteris* XI. *De conſtit.* Quidam Doctor Pariſienſis, cum nollet obedire ordinationi Univerſitatis poſt primam, ſecundam, & tertiam monitionem, fuit ab eadem Univerſitate expulſus in pẹnam contumaciæ, & privatus emolumentis, quæ ex Cathedra acquirebat. In ea tamen impoſitione illius pẹnæ non fuit expreſſum, an deberet eſſe privatus illis emolumentis in perpetuum, an ſolum ad tempus, quamdiu duraret contumacia. Cum autem poſt aliquod tempus ipſe a ſua contumacia reſipiſceret, & Ordinationi Univerſitatis obediret, dubitatum fuit, utrum eſſet ad priſtina jura reſtituendus? Conſultus ea de re Innoc. III. reſpondit, reſtituendum eſſe. Pœna

enim

enim propter contumaciam impoſitam abſque certa expreſſione perpetuitatis, intelligi debet in ſenſu mitiori, ut ſcilicet cenſeatur impoſita ad tempus, quamdiu contumacia duraverit, quia pęnæ ſunt potius molliendæ, quam aſperandæ, ut dicitur in cit. l. penult. ff. de pęnis.

2 Hæc regula intelligenda eſt pro iis caſibus, in quibus dubium eſt: utrum pęna per legem, aut per ſententiam impoſita ſit gravior, aut mitior: in iis enim regulariter interpretationem ſequimur mitiorem, quia ut dicitur in l. 56. ff. de reg. Jur. *ſemper in dubiis benigniora præferenda ſunt*. Secus autem accidit, ubi nihil obſcuritatis, & incertitudinis eſt circa genus pęnæ, quia tunc ſervantur verba legis, nec opus eſt interpretatione conjecturali.

3 Item intelligenda eſt eadem regula pro caſibus, in quibus dubium eſt de aliqua circumſtantia, ex cujus variatione poſſet pęna molliri, vel aſperari: quia etiam tunc regulariter mitiorem interpretationem amplectimur, ſuppoſito, quod ceteroquin cum ea benigna interpretatione conſervetur prudens diſpoſitio, & juſtitia legis pęnalis. Inde fit, quod ſi verbum poteſt de ſe importare pęnam perpetuam, & pœnam temporalem, eligitur temporalis, ut patet in caſu figurato ex cit. cap. *Ex litteris*. Item ſi aliquid prohibitum ſit ſub pęna, ſolet intelligi de pęna per ſententiam ferenda, non autem de pęna ipſo jure lata, niſi addita ſit aliqua ex illis particulis, *ipſo jure*, *ipſo facto*, aut alia æquivalens, ut tradit Gloſ. ad hanc regulam v. *In pœnis*.

4 Demum ex eodem principio infertur, quod in pęnis, non debeat argui ad ſimilia, puta a caſu

ad

ad caſum ſimilem a perſona ad perſonam, a pœna ad pęnam, a loco ad locum; ſed ſiſti debeat intra limites caſus expreſſi. Sic ex eo quod percuſſor Clerici incidat in cenſuram C. *Si quis ſuadente* 27. 17. q. 4. non infertur, quod criminoſus in alio genere delicti, ſive æqualis gravitatis, ſive etiam majoris, incidat in pęnam ejuſdem Canonis. Item ex eo, quod lex aliena imponat alicui determinato generi perſonarum aliquam pœnam, ſi delictum aliquod committant, non infertur, quod alia perſona ſub eo genere non comprehenſa eamdem pœnam incurrat ex vi legis illius. Ex eo quod lex puniat delictum factum in tali loco, itaut conſtet legem habuiſſe reſpectum ad illum locum, non infertur ex vi illius legis, puniendum quoque eſſe eadem pęna delictum in alio loco factum, utcumque pro eodem ſimilis ratio militare videatur. Ratio iſtorum omnium eſt; quia quamvis impoſitio pęnæ ſit aliquid exactum a Juſtitia, attamen quod hæc, vel illa determinata pœna ſtatuta per legem humanam ſubeunda ſit pro aliquo particulari delicto, pendet a voluntate Legislatoris, qui potuiſſet, vel aliam imponere, vel etiam nullam, committendo illud delictum puniendum a Judice pœna aliqua arbitraria. Cum igitur voluntas Legislatoris non ſe extenderit niſi ad caſus, & circumſtantias expreſſas in lege, ſequitur, ſtatutum ejuſdem legis non eſse extendendum extra caſus illos, & circumſtantias.

5 Iſta tamen intelligenda ſunt quoad vim ejuſdem legis pœnalis, & quoad rigorem obligationis in ordine ad ejus obſervationem, vel tranſgreſſionem. Ceterum negatur a Juriſtis etiam in ejuſmodi legibus argui poſse, ac debe-

re

re a ſimilibus ad ſimilia, quoad dirigenda externa judicia, ſententiamque in eis ferendam, & ordinem ſervandum: puta ex eo, quod lex tali modo diſponat in uno caſu dirigi poſse, ac debere Judicem, quomodo gerere ſe debeat in alio caſu ſimili, de quo lex nihil diſponit. Vide Suar. hac de re fuſe tractantem lib. 6. de Leg. c. 3.

R E G. L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.

1 DEſumitur ex l. *Actus legitimus* 77. ff. de reg. Jur. Caſus exponi poteſt ex c. *in Electionibus* 2. *de Elect. in 6.* Vacante quadam Eccleſia, Capitulares pro eligendo Prælato convenerunt ad ſcrutinium: quo abſoluto, repertum eſt aliqua ſuffragia eſse conditionata ſub conditione ſuſpenſiva in eventum futurum dubium, ut v. g. Eligo Titium, ſi navis ex Aſia veniet; aliqua autem ſuffragia eſse quoque limitata ad certum tempus, ut puta, eligo Titium uſque ad tale tempus. Numquid ejuſmodi ſuffragia cenſeri valida debuerunt? Reſp. eſt, ea eſse invalida, & habenda pro non adjectis, quia Electio eſt de eo genere actuum, qui exigunt conſenſum purum, & abſolutum, nullique conditioni ſuſpenſivæ, aut diei alligatum.

2 Hæc regula non eſt ita intelligenda, quaſi nullus omnino celebrari poſſit actus ſub aliqua conditione, aut temporis determinatione conceptus: certum enim eſt plures ejuſmodi conditionatos fieri poſse, ut patet in multis contractibus; puta in contractu locationis, cum loca-

tur

tur domus ad certum tempus, in contractu venditionis, cum aliquid venditur ſub aliqua conditione, quæ quamdiu non adimpletur, non cenſetur perfecta venditio, juxta textum expreſſum in l. *Hæc venditio* ff. 7. *De contrabenda emptione*, & ſic de aliis pluribus, quæ ſicut celebrantur ex liberæ voluntatis arbitrio, ita & ſub ea conditione celebrari poſſunt, quæ liberæ voluntati placuerit, dummodo aliunde non ſit conditio a Jure reprobata.

3 Limitatur igitur intellectus præſentis regulæ ad ea genera actuum, quæ vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitioni legis tales ſunt, ut ſtatim ſuum conſequantur effectum, adeoque ipſorum ſubſtantiæ, ſeu validitati opponitur quælibet conditio ſuſpenſiva. Ejus generis ſunt omnes illi actus, pro quibus valide faciendis præſcripta eſt verborum forma, quæ ſenſum penitus habeat abſolutum, & ab omni conditione depuratum. Exemplum habes in Sacramento Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, reliquiſque, pro quibus certa forma requiritur habens ſenſum abſolutum: unde ſi quis in Sacramentali confeſſione abſolveret ſub conditione ſuſpenſiva v. gr. dicendo. *Ego te abſolvo, ſi jejunaveris, &c.* proferendo ea verba per modum conditionis, ita ut non aliter intendat abſolvere, quam ſi pœnitens jejunaverit, valide, & proprie non abſolvit; & ſic de reliquis ſimilibus. Exemplum etiam habes ex jure civili expreſſum in cit. l. *Actus legitimis*, ff. de reg. Jur. in adoptione, in inſtitutione heredis, in emancipatione, aliiſque pluribus, quæ ibidem, & apud Juriſtas in propriis tituli videri poſſunt.

4 Secus accidere ſolet, ubi actus nullam certam

vam habet verborum formam, ſub qua fieri debeat ex præſcripto legis, qualis eſt v. g. Actus excommunicandi, aut aliam cenſuram infligendi. Ejuſmodi enim actus poni poſſunt, & ſæpe etiam poni ſolent ſub aliqua conditione, & cum alligatione ad certum tempus: quia non habent certam, & eſſentialem verborum formam præſcriptam, neque ulla lex prohibet in iis conditionem, aut diem apponi.

5 Notandum tamen hic eſt actus legitimos, de quibus loquitur, regula præſens, quamvis appoſitionem diei; & conditionis excludant, poſſe tamen recipere modum. Ad hujus intelligentiam ſupponendum eſt diſcrimen inter modum, & conditionem in eo eſſe, quod conditio proprie ſumpta habet effectum ſuſpenſivum, itaut quamdiu non fuerit actualiter purificata, actus non intelligitur perfectus. At modus proprie acceptus non ſuſpendit diſpoſitionem, & perfectionem actus; ſed tantummodo obligat ad aliquid aliud ponendum concomitanter ad effectum actus, unde etiam eo modo nondum impleto adhuc actus ſuum effectum habet. Exemplum habes in l. *quibus dieb.* 40. §. *Thermus minor* ff. *de Conditionibus, & Demonſtrationibus*, ubi narratur, quemdam condidiſſe teſtamentum, & declaraſſe heredem, ac poſtea adjeciſſe, ut idem heres teneretur ad dandum mille pro ædificando quodam monumento. Ea adjectio non fuit adjectio ſuſpenſiva, itaut heres non poſſet adire hereditatem, quamdiu illa mille non ſolviſſet, ſed ſolum fuit adjectio modi, unde in cit. l. declaratur, pro adeunda ea hereditate, ſatis fuiſſe, ſi heres cautionem daret de ſolvendis illis mille.

6 Hinc habes rationem diſparitatis, quare actus legitimi conditionem non recipientes, recipere tamen poſſint modum: quia ſcilicet ideo conditio ab illis actibus excluditur, quatenus vel ex natura ſua, vel ex diſpoſitione legis, non poſſunt habere effectum, & validitatem ſuam ſuſpenſam: atqui adjectio modi non reddit effectum, & validitatem actuum ſuſpenſam, ut patet ex explicatione tradita; quinimmo etiam modo non adimpleto adhuc actus perfectus eſt: ergo adjectio modi illis actibus non repugnat. Atque hic adverte doctrinam hanc potiſſimum valere pro iis actibus, qui poſtquam ſemel perfecti ſunt, non poſſunt amplius revocari, ſeu invalidari, prout ſunt Sacramenta novæ legis, quorum collatio, poſtquam valide petita eſt, revocari poſtea, ſeu invalidari non poteſt. Idem proportionaliter dic de actibus civilibus, quorum validitas non ſuſpenditur uſque ad impletionem modi, adeoque etiam ante ipſam validi ſunt, niſi tamen fuerit intentio ponentis tales actus, eos non valere, niſi impleto illo onere, in quo caſu cenſerentur poſiti ſub conditione ſuſpenſiva.

7 Objici poteſt textus in l. 1. C. *De his, quæ ſub modo, &c.* ubi dicitur *modus in legatis, & fideicommiſſis aſcriptus pro conditione obſervatur*, unde inferunt Juriſtæ modum, & conditionem in jure æquiparari: ergo ſi actus legitimi, de quibus agitur in præſenti regula, conditionem non recipiunt, neque poterunt modum recipere: vel e converſo ſi modum recipiunt, poterunt quoque recipere conditionem.

8 Reſp. cum Gloſ. ad cit. legem v. *pro conditione*, æquiparari, & eſſe ſimiles conditionem, & modum, quoad neceſſitatem adimplendi id, quod

in diſpoſitione, ſive conditionali, ſive modali adjectum eſt: ſecus autem quoad vim ſuſpenſivam ejuſdem diſpoſitionis. Unde ut advertit eadem Gloſſ. ſi aliquid relictum tibi ſit ſub modo, potes agere ad illud recipiendum etiam antequam modum adimpleveris, præſtita tantum cautione de eo adimplendo; non poſſes autem ita agere, illudque exigere, ſi diſpoſitio fuiſſet conditionata, & nondum conditionem adimpleveris.

9 Ex hactenus dictis clare deducitur, totam hanc regulam procedere circa conditiones de futuro, dubioque eventu, quarum proprium eſt reddere dubiam, & ſuſpenſam diſpoſitionem, ſeu actum conditionatum, quamdiu conditio non purificatur. Unde Nav. in man. cap. 26. n. 12. infert non excludi ab actibus legitimis conditionem de præterito, quia talis conditio non reddit actum dubium, & ſuſpenſum. Hanc in rem facit cap. 2. De Baptiſmo, ubi pro aliquo caſu conceditur præmitti poſſe formæ baptizandi aliquam conditionem de præterito, ut puta ſi prudens dubium ſit, an aliquis ſit baptizatus, baptizari poſſe his verbis præmiſſis: *ſi baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.*

10 Quærunt hic Canoniſtæ, utrum inter reliqua Sacramenta, etiam Matrimonium ſit de eo genere actuum legitimorum, qui conditionem non recipiunt, hoc eſt, utrum poſſit Matrimonium conditionem ſuſpenſivam recipere necne? In qua quæſtione diviſi ſunt in diverſas ſententias, ut videri poteſt apud Barb. qui tandem in eam ſententiam inclinat, ut cenſeat Matrimonium conditionis propriæ, ac ſuſpen-

ſivæ eſſe capax. Ratio ipſius eſt: quia Matrimonium non habet certam verborum formam præſcriptam, nec aliunde datur ulla lex prohibitiva, quæ directe, vel indirecte prohibeat Matrimonium contrahi ſub conditione ſuſpenſiva: ergo &c. Nec obſtat per ipſum, quod Matrimonium ſit verum, & proprium Sacramentum: Nam Chriſtus Dominus ſubſtantialia Matrimonii quoad materiam, & formam, naturamque contractus illius non immutavit, ſed totum illum contractum elevavit ad eſſe Sacramentale. Quare, ſi quatenus contractus eſt recipit conditionem, recipit etiam, ſeu non excludit quatenus Sacramentum.

11 Contrarium tamen ſentiunt plerique ex Theologis, inter quos S. Thom. in 4. diſt. 29. qu. un. art. 3. quæſtiunc. 3. S. Bonav. & alii, quos citat Th. Sanch. *de Matrim. l.* 5. *diſp.* 8. *n.* 3. *in fin.* & Fagnan. in c. *Super eo* 5. *De condition. appoſitis n.* 3. *in fine*.

12 Hanc quæſtionem ſufficiat hic tantum indicaſſe; pertinet enim ad tractatum de Matrimonio, & aliunde per temporis anguſtias eam pro dignitate examinare, & reſolvere non licet. Si quis tamen ejus notitiam habere velit, conſulere poterit prædictos Auctores in citatis locis.

R E G. L I.

Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.

1 DEſumitur ex c. *Ad hæc* 4. *De religioſ. domibus*, & ex aliis textibus, quos abunde

de citat Gloſſ. in eod. cap. *Ad hæc v. Mundanis uſibus;* ex quo etiam caſus figurari poteſt. Deputatus fuit quidam locus auctoritate Eccleſiaſtica ad uſum hoſpitalitatis, & proviſionem pauperum. Poſt aliquod tempus voluerunt quidam eumdem locum convertere in domum ſæcularem. An id liceret, interrogatus fuit ab Epiſcopo Ariminenſi Urbanus III. qui reſpondit, quod, ſi locus ille fuerat ita deputatus, non debuit amplius mundanis uſibus deputari, cum eſſet locus religionis: ſicut de veſtibus, & ligneis vaſis, & aliis utenſilibus ad cultum Religionis per Pontificem deputatis antiqua conſuetudo indubitanter obſervat, & venerabilium Patrum edocent ſanctiones, ut ſcilicet ad ſæculares uſus non convertantur.

2 Hæc regula inducta eſt favore Religionis, & cultus divini, cui poſtquam ſemel res aliqua dicata eſt, non decet eamdem ad uſus ſæculares redire; ex qua ratione regula extenditur hic a Gloſſa etiam ad rem alienam, ſuppoſitò quod fuerit conſecrata, ut puta ſi artifici ſubripiatur Calix, eumdemque Epiſcopus conſecret, non debet amplius reddi artifici ille Calix, ſed tantummodo ejus æſtimatio, qui caſus eſt ſpecialis, in quo res non debet reſtitui ſuo priori domino, juxta textum expreſſum in c. *Comperimus* 2. 14. qu. 6. Quod autem dicitur de Calice, intelligendum quoque eſt de qualibet alia re inanimata. Dixi *de re inanimata*: quia in re animata, id aliquando non procedit, ut habes exemplum in Servo, qui in Sacro Ordine initietur, contradicente ſuo domino, ejuſque ſervitutem neſcientibus Epiſcopo ordinante, & Præſentatibus, reddi debet Domino ſuo; ex

cap. *frequens* 10. diſt. 54. quod ſtatutum fuiſſe videtur, ne præberetur ſervis occaſio liberandi ſe culpabiliter a conditione captivitatis.

3 Notat tamen hic eadem Gloſſ. ad præſentem regulam, quod hic dictum eſt de re Deo dicata ulterius non transferenda ad humanos, ſeu ſæculares uſus, intelligi debere, quamdiu res eamdem formam retinet; ſecus autem forma mutata, ut puta ſi urgeat neceſſitas redimendi captivos, aut aliquid ſimile, & aliunde pretium non ſuppetat, venduntur nonnumquam ſacra vaſa etiam laicis, confracta tamen, & minuta, non autem integra, ex c. *Hoc jus* 2. 10. q. 2. Idem notat dici in regula *Dicatum*: unde infert bona Eccleſiæ non dicata vel conſecrata poſſe tranſire ad humanos actus. Notat demum particulam illam *ad uſus humanos*, idem ſignificare ac ad uſus ſæculares, ſeu ſæcularium perſonarum: cenſet enim non eſſe univerſaliter prohibitum per hanc regulam aliquid Deo dicatum converti in aliquem uſum Clericorum, niſi aliunde ipſa rei qualitas, & ſpecialis conſervatio talis ſit, ut indecens quoque videatur eamdem ad uſum Clericorum converti.

4 Occaſione hujus regulæ inſtitui poſſet quæſtio: Utrum Religioſus ſollemniter Deo dicatus per profeſſionem, poſſit ſaltem ex diſpenſatione Summi Pontificis transferri ad vitam ſæcularem contrahendo Matrimonium? Sed cum hæc quæſtio aliquas habeat difficultates, non eſt locus hic immorandi. Videri poteſt S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 11. Barb. in Collectan. ad c. *Cum Monaſterium* 6. De ſtatu Monach. n. 13. aliique ab ipſo citati.

REG.

REG. LII.

Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.

1 DEſumitur ex l. *Si ſe non obtulit* 4. §. *Condemnatum* ff. *De re judicata* l. *non putavit* 8. §. *Non quævis* ff. *De bonorum poſſeſſione contra tabulas*, aliiſque pluribus textibus. Caſus poni poteſt ex c. *Si verum* 2. 31. q. 2. Titius ſponſalia contrahit cum Berta infantula nolente, & pro viribus contradicente, ex qua ratione non fuerunt valida. Poſtea idem Titius contraxit Matrimonium cum alia volente, & aſſentiente, in qua nullum erat impedimentum. Numquid iſte ſecundus contractus validus fuit, eidemque nullum impedimentum præbuit primus contractus Sponſaliorum factus cum Berta? Reſponſum eſt affirmative: quia prima illa ſponſalia fuerunt nulla: quod autem nullum eſt, non præſtat impedimentum. Item caſus figurari poteſt ex c. *Congregato* 53. *De Elect.* Canonici Capitulares convenerunt ad electionem Prælati, ex quibus 13. ſua ſuffragia dederunt in favorem Titii, alii 18. in favorem Caii. Quia tamen Cajus erat indignus propter imperitiam litterarum, adeoque inhabilis ad Prælaturam, ideo reliqui 13. fecerunt capitulariter decretum electivum Titii, & petierunt illud confirmari a Summo Pontifice, exponentes quod electores Caii valde deliquiſſent, eligendo ſcienter indignum, unde in pœnam cenſendi erant pro ea vice privati poteſtate eligendi. In eo caſu numquid confirmanda fuit ele-

ctio Titii facta a minori numero, an potius eidem impedimentum præbuit electio Caii facta a numero majori, & nondum per ſententiam caſſata? Reſp. eſt, fuiſſe confirmandam electionem Titii ſuppoſito quod Cajus electus a majori numero non ſit idoneus ad regimen paſtorale: quia electio Caii fuit de jure nulla, ideoque impedimentum præbere non potuit confirmandæ electioni Caii.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ eſt manifeſtum: quia quod de jure nullum eſt, non producit effectum, adeoque impedimentum non præbet, cum perinde ſe habeat, ac ſi factum non fuiſſet. Inde eſt, quod, ut habetur in l. *Si dari* 25. ff. de Verbor. obligat. Si factæ fuerint duæ ſtipulationes, quarum prima non valeat, ſecunda ſubſiſtit. Item ſi alicui relictum ſit legatum, ut ex pluribus ſervis unum ſibi eligat, aut ex pluribus vaſibus unum vas, quod placuerit; ipſe autem unum eligat, ſed electione invalida, ut puta, quia loco eligendi ſervum eligit liberum, aut quia ei non fuerunt exhibita omnia, inter quæ facienda erat electio; tunc datur locus iteratæ electioni, ut ſumitur ex l. 2. cum tribus ſeqq. ff. *De Optione, vel Elect. legata*; & ſic de aliis ſimilibus.

3 Notandum hic tamen eſt, particulam illam negativam; *Non ſortitur effectum* intelligi debere univerſaliter, itaut omnem effectum excludat: contingit enim aliquando aliquem actum fieri, qui quamvis ſecundum ſe ſit invalidus, attamen aliquem effectum ponit, & impedimentum præſtat ad aliud. Exemplum habes ex Jure Civili l. *Licet transferam* 20. & l. *Ex part.* 22. ff. *de adimendis, vel transfe-*

rendis legatis, in teſtatore, qui legavit Titio 100. ſed poſtea illud legatum tranſtulit in Cajum non capacem illius legati: quamvis enim in eo caſu illa translatio Legati in Cajum fuerit invalida, non propterea dicenda fuit perſiſtere diſpoſitio facta in favorem Titii; adeoque eadem translatio legati quamvis invalida, habuit tamen hunc effectum, ut Titius prætendere non poſſet illud legatum. Ratio eſt: quia pro adimendis legatis attenditur nuda voluntas Legatoris, quæ ſatis cognoſcitur noluiſſe, ut Titius legatum haberet, quando illud in alium tranſtulit.

4 Aliud quoque exemplum habes in jure Canonico veteri expreſſo in c. *Unico*. *De Sponſalibus* in 6. Olim ex ſponſalibus etiam invalidis, & nullis, dummodo non eſſent nulla in defectu conſenſus, oriebatur impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, per quod Sponſus prohibebatur contrahere Matrimonium cum conſanguineis Sponſæ, & viciſſim Sponſa contrahere cum conſanguineis Sponſi. Actus igitur de jure invalidus præſtabat impedimentum. Sed hoc ideo fuit, quia ut ibidem explicat Gloſ. Impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis introductum fuit propter honeſtatem quamdam, & decentiam, quæ petebat, ut poſt conſenſum datum in unam non contraheretur cum conſanguinea ipſius; quæ ratio militare videbatur, quia etiam ex illis oriebatur ea communis hominum apprehenſio non poſſe amplius abſque indecentia conſentiri in conſanguineam illius, cum qua primo conſenſum fuit, etiam ubi ſponſalia ex alio capite eſſent invalida. Nunc tamen aliud juris ſervatur poſt Concil.

Trid. quod ſeſſ. 24. De reform. Matrimonii c. 3. prorſus tollit juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt: ubi autem valida fuerint, decernit, ut primum gradum non excedant: quod decretum procedere tantum in ſponſalibus de futuro, non autem in Matrimonio, declaravit authentice S. Pius V. in conſtit. quæ incipit *Ad Romanum* edita die prima Julii anno 1568. adeoque in Matrimonio durare impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.

5 Demum ejuſdem rei exemplum eſt in tranſgreſſionibus legis, & actionibus malis, quæ quamvis a jure approbatæ non ſint, & debeant pro infectis haberi juxta regulam inferius explicandam: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, relinquunt tamen effectum aliquem nempe reatum ad pœnam, ratione cujus transgreſſores illi ſæpe ſunt impediti ad hoc, ut promoveantur, aut aliquod commodum acquirant, quod ceteroquin conſequi potuiſſent, ut ſumitur ex c. 1. 2. & 3. diſt. 50.

REG. LIII.

Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

1 Deſumitur ex l. *Non debet* 21. ff. de reg. Juris. Caſus figurari poteſt ex c. *Ex p.* 27. *De Decimis* de quo ſupra dictum eſt in explicatione regulæ Odia reſtringi, &c. Conceſſit Summus Pontifex quibuſdam Monachis privilegium percipiendi decimas de laboribus terræ Parochiarum

ſua-

ſuarum. Poſt aliquod tempus facta fuerunt novalia, hoc eſt exculta fuit quædam terræ pars inter eaſdem Parochias, quæ retroactis temporibus ab hominum memoria numquam fuerat exculta. Quæſitum eſt, utrum etiam ex illis Novalibus percipi deberent Decimæ? Reſponſum eſt affirmative propter rationem hujus regulæ, quia ſi illis Religioſis conceſſum fuerat quod eſt plus; ut ſcilicet percipere poſſent Decimas integras de Parochiis ſuis, cenſendum fuit conceſſum eſſe etiam minus, ut videlicet percipere poſſent etiam decimas de Novalibus.

2 Hæc regula intelligenda eſt pro iis caſibus, in quibus fieri poteſt extenſio, adeoque in iis, quæ ſunt conformia Juri communi, & propterea cenſentur favorabilia: ſecus autem pro caſibus odioſis, ut puta in privilegiis; & diſpenſationibus derogantibus juri communi; ex qua ratione in c. *Tua 25. de Decimis* dicitur conceſſio Laicis facta de percipiendis decimis non eſſe extendenda ad novalia, adeoque in eo caſu, cui licet quod eſt plus, non licet quod eſt minus, quia ſcilicet eſt caſus odioſus, ſeu derogans juri communi, juxta quod Decimæ non ſolvuntur Laicis, ſed Clericis, ut explicatum eſt in reg. 15. *Odia reſtringi*.

3 Item plus hæc regula intelligenda eſt pro iis caſibus, in quibus plus, & minus, ſunt ejuſdem generis, & qualitatis: ſecus autem ſi diverſæ qualitatis, ut late declarat Barb. in tract. de locis communibus argumentor. Juris loco 67.

4 In caſibus igitur ſub regula comprehenſis valet argumentatio a majori affirmative ad minus, ut v. g. Ex eo, quod quis teſtamentum faciendi facultatem habeat, inferri poteſt eumdem

poſſe etiam donare cauſſa mortis, ut de facto infertur expreſſe in l. *Filius Familias* 7. *in fine*, ff. *De Donationib.* quia teſtamentum facere plus eſt, quam aliquid donare cauſſa mortis. Item ex eo quod Judex licet invitus dari poſſit ex l. *Munerum* 18. §. *Judicandi*, ff. *de muneribus*, *& honorib.* infertur, eumdem dari quoque poſſe, cum ignorat ſe dari, quod minus eſt: & ſic de aliis ſimilibus.

5 Inde eſt, quod docent communiter Canoniſtæ, valere quoque argumentationem a minori negative ad majus, hoc eſt ex eo quod non liceat id, quod minus eſt, inferri poſſe a fortiori, nec licere, quod majus, quod expreſſe etiam dicitur in c. *Cum illorum* 22. *de ſent. excom.* ubi ex eo, quod Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſit negata facultas abſolvendi eos, qui excommunicati ſunt propter percuſſionem Clerici, infertur negatam quoque ipſis cenſeri debere facultatem diſpenſandi cum iiſdem excommunicatis, ut ad Ordines poſſint promoveri. Ex eadem ratione, qui prohibitus eſt a minoribus honoribus, cenſetur quoque prohibitus a majoribus, & ſic de aliis; quod potiſſimum procedit, ubi prohibitio illa fundatur in delicto, ut notat Maſcard. de probat. (concl. 1252. nu. 2.) Secus enim nonnumquam accidit, ubi in aliena cauſſa ſpeciali fundatur, puta in mandatis Principis, quæ diligenter ſervanda ſunt, adeoque ſi ſit mandatum de providendo beneficio majori, illud tantummodo provideri poterit; non autem beneficium minus, ut habes exemplum in c. *Cui de non Sacerdotali* 27. *de præbend. in* 6. de quo dictum eſt ſupra in explicatione reg. 35. *Plus ſemper in ſe continet &c.*

6 Con-

6 Contra id, quod ſupra diximus, regulam iſtam non procedere in caſibus, ſeu derogantibus juri communi, objici poteſt ex c. *Per Venerabilem* 13. *Qui filii ſint legitimi*, ubi ex poteſtate legitimandi in ordine ad concedendam habilitatem ad actus nobiliores, videtur inferri poteſtas legitimandi in ordine ad actus ignobiliores, per illa verba: *quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori*: poteſtas enim legitimandi eſt in genere odioſo: quare ſi in ea dimittitur ea extenſio a majori ad minus, dicendum erit præſentem regulam locum habere etiam in odioſis.

7 Ad hanc difficultatem rejectis aliorum ſolutionibus, reſpondet Barb. ad præſentem reg. n. 8. argumentum illud a majori conceſſo ad minus, non eſſe verba ipſius Pontificis id aſſerentis, ſed partis proponentis, & petentis legitimationem etiam pro obtinenda habilitate ad actus ignobiliores: & de facto patet ex contextu ejuſdem capitis, Summum Pontificem motum fuiſſe ad concedendam prædicto modo legitimationem, non ex vi illius illationis, ſeu extenſionis, ſed aliunde, videlicet ex auctoritate Novi, & Veteris Teſtamenti, ut ibid. videre eſt.

R E G. L I V.

Qui prior eſt tempore, potior eſt Jure.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex leg. *Quoties utriuſque* 98. ff. *de reg. jur.* Caſus proponi poteſt ex c. *Cum certum* 1. *De majoritate, & obedientia*, ubi Gregorius formam præſcribens novæ Angelorum Eccleſiæ, & in quibuſdam ejus Regni civitatibus Sedem Epiſcopalem

con-

conſtituens declarat inter eoſdem Epiſcopos eam impoſterum ſervandam eſſe diſtinctionem honoris, ut ille prior habetur, qui prior fuerit ordinatus. *Vide Onnate tom.* 2. *pag.* 995. Exemplificari quoque idem poſſet ex cap. *Eum, cui* 7. de præb. in 6. in caſu, quo Summus Pontifex præcipit provideri Titio beneficium, ſi quod vacaret alias proxime vacaturum in quadam Eccleſia; & poſt aliquod tempus ſimile præceptum dedit, ut provideretur beneficium Cajo: in quo caſu declaratur ibid. præferendum eſſe Titium in aſſecutione prębendę: quia videlicet eſt prior tempore quoad conſecutionem reſcripti. Demum exemplificari poteſt in pluribus creditoribus, ex quibus qui creditum antiquius habet, prius ſatisfaciendus eſt a debitore, quam creditores reliqui, ſi cetera ſit paria.

2 Uſus hujus regulæ ſatis evidenter apparet, quando unus alterum præcedere debet in aliquo actu faciendo, aut in aliquo ſigno honoratæ præeminentiæ, ut puta ceteris paribus, qui prior eſt tempore, primum locum habet in ſedendo, in dando ſuffragia, in ſubſcribendo, & ſic de reliquis.

3 Dixi *ceteris paribus*. Secus enim accidit, quando aliqua circumſtantia intervenit, quæ prævalet majori antiquitati temporis. Sic receptus auctoritate Sedis Apoſtolicæ in Canonicum alicujus Eccleſiæ, debet in aſſecutione præbendæ præferri ceteris, qui recepti fuerint in Canonicos ejuſdem Eccleſiæ auctoritate alicujus inferioris Collatoris ex cap. *Ii, qui* 12. *de præbend. in* 6. quia videlicet concurrit reverentia, quæ debetur Sedi Apoſtolicæ. Item ſi aliqua res, puta aliquod prædium vendatur Titio, & poſtea

idem

idem vendatur Cajo, ſimulque eidem Cajo actualiter tradatur poſſeſſio prædii. Cajus præfertur Titio quoad detinendum dominium prędii, quamvis Titius ſit prior tempore, quia ſcilicet in favorem Caii ſtat adminiculum actualis poſſeſſionis, quod pręvalet prioritati temporis Titii, ex l. *Quoties* 15. *C. De rei vindicatione*. Ac propterea Titius pro eo caſu habet ſolum jus ex empto ad exigendum, ut ſibi a venditore, qui fidem contractus fregit, præſtetur quanti ſua intereſt, juxta textum expreſſum in l. *Qui ſibi hereditatem* 6. *C. de hereditate, vel actione vendita*. Item creditrix dotalis prefertur etiam quibuſvis anterioribus creditoribus, ut tradit Gloſs. ad præſentem reg. ex l. *Aſſiduis* 12. *C. qui potioris in pignore*; niſi tamen de duplici credito dotalis quæſtio eſſet, in qua locum haberet regula præſens, ut qui prior eſt tempore, potior ſit jure. Idem dic de aliis ſimilibus.

4 Notandum autem eſt regulam iſtam procedere quoad determinandam prælationem juris unius perſonæ, præ jure alterius; non autem quoad determinandam prælationem unius actus præ alio. In his enim ſæpe contingit oppoſitum, videlicet actum illum alteri prævalere, qui poſteriori tempore poſitus fuerit; quod ſpecialiter apparet in actibus ab unius, ejuſdemque voluntate pendentibus, aut puta in duobus teſtamentis ab eodem Titio factis, quorum poſterius prævalet in duabus legibus contrariis ab eodem Legislatore ſucceſſive promulgatis, quarum poſterior viget, & ſic de reliquis. Ratio quare in his actus poſterior prævalet, eſt, quia voluntas, a qua illorum actuum validitas pendet, per actum poſteriorem cenſetur revocare priorem.

REG.

R E G. L V.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra.

1 DEſumitur ex l. *Secundum naturam* 10. ff. *de reg. jur.* Caſus a Gloſs. figuratur ex c. *De lapſis* 5. 16. *q.* 6. Titius Sacerdos propter delictum perpetratum condemnatus fuit ad agendam toto vitæ tempore pœnitentiam in quodam Monaſterio. In eo caſu ſtatutum fuit, ut res ipſius traderentur Monaſterio, ut Monaſterium de illius correctione ſollicitudinem gerens, de ejus quoque rebus haberet ſubſidium, quia qui ſentit onus, ſentire debet etiam commodum. Ex eadem quoque ratione decernitur in c. *Certificari* 9. *De Sepulturis*, ut ſi quis ſepulturam eligat extra ſuam Eccleſiam Parochialem, ſolvi tamen debeat Eccleſiæ Parochiali portio Canonica juxta conſuetudinem regionis, quia videlicet, ſicut Eccleſia Parochialis curam, & ſollicitudinem illius habuit, ita pariter debet eſſe particeps emolumentorum. Demum ex eadem ratione ſtatuitur in c. *Significatum* XI. *de Præb.* ut Clericus fructum, & emolumentum percipiens alicujus Eccleſiæ, teneatur quoque eidem Eccleſię famulatum illum præſtare, qui annexus eſt ſuæ præbendæ, cum beneficium detur propter officium c. fin. *de reſcr. in 6.*

2 Hæc regula in duas partes, ſeu potius in duas regulas dividitur, quarum prima eſt: qui ſentit onus, ſentire debet commodum; altera autem in his verbis *& econtra* incluſa eſt: qui ſentit commodum, ſentire debet onus. Utraque iſtarum partium fundamentum habet ab æquita-

te,

te, ut de prima conſtat ex cit. l. 10. ff. de reg. jur. ubi dicitur: *ſecundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda*, de altera autem ex l. unica §. *pro ſecundo C.* de caducis tollendis, ubi habetur, *neque enim ferendus eſt is, qui lucrum amplectitur, onus autem ei annexum contemnit*.

3 Intelligenda tamen iſta ſunt, ſi commodi, & oneris ſit eadem prorſus ratio, & cauſſa: ſecus autem ubi eſſet diverſa ratio, ut notat Bart. ad cit. l. *Secundum naturam*, ſumiturque ex pluribus juribus ibid. allegatis a Gloſs. Exemplum habes in leg. *Si negotia abſentis XI. ff. De negotiis geſtis*, ubi dicit, quod ſi quis negotia abſentis, & ignorantis gerat, ac præſertim ſi nomine ejuſdem abſentis, & ignorantis aliquod negotium tractet, quod non ſit ſolitus abſens facere, veluti aliquam negotiationem inſolitam ineundo; tunc præſtare tenetur non ſolum culpam, & dolum, ſed etiam caſum: unde ſi quod damnum ex ea re ſecutum fuerit ipſum ſequetur, lucrum autem ſequetur abſentem. Ratio eſt: quia in eo caſu intervenit culpa ipſius, immiſcendo ſe in ſolito negotio nomine abſentis, & ignorantis, cui culpę imputare debet damnum, quod ſentit, non autem ipſi negotio ſecundum ſe. Item aliud exemplum habens in l. *Sed & Socius* 17. §. *ſi abſenti ff. pro ſocio*, ubi dicitur, quod ſi duo fecerint inter ſe contractum ſocietatis, & unus illorum ſocietati renuntiet, ſocio ſuo abſente, id, quod interim renuntiator acquirit, quamdiu abſens hoc ſciat, commune eſt; detrimentum autem eſt illius ſolum, qui renuntiavit: econtra ſi abſens lucretur, ad eum ſolum pertinet lucrum; com-

mune

mune autem erit detrimentum. Ratio etiam eſt, quia ille renuntians eſt in culpa, cui imputare debet damnum, quod ſentit, non autem negotiationi. Et ſic de pluribus aliis.

4 Idem proportionaliter dicendum eſt, ubi lucrum ex aliqua re percipitur non ex vi præciſa ejuſdem rei, ſed ratione privilegii, aut ratione qualitatis perſonæ, quæ inhabilis ſit ad incommodum ſentiendum. Exemplum habes ex l. ult. C. *De legitima tutela*. Non obſtante enim, quod plerumque, ubi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe debeat ex Inſt. *De legitima patronorum tutela* §. ultimo minores tamen quamvis ſucceſſionis emolumentum non amittant, non proprereà veniunt ad tutelæ gravamen; unde ſentiunt commodum, & non onus propter infirmitatem ætatis. Idem dic de aliis ſimilibus caſibus.

R E G. L V I.

In re communi potior eſt conditio prohibentis.

1 DEſumitur ex l. *Sabinus* 28. ff. *de Communi dividundo*, l. *Parietem* 7. ff. *De ſervitutibus urbanorum prædiorum*, aliiſque Juribus hic cit. a Gloſs. ex quibus etiam caſus multipliciter figuratur, ut v. gr. in duobus conjugatis, quorum uni non licet, altero invito, in Religionem ingredi, ex c. *Notificaſti* 2. 33. q. 5. In duobus habentibus communem parietem, quorum neuter poteſt parietem illum demoliri, altero prohibente, ex cit. l. *Parietem*. In Canonicis pro electione facienda congregatis, qui non non poſſunt devenire ad formam compromiſſi;

uno

uno ipſorum prohibente, ex cap. *Quia propter* 42. *de Elect.* juncta ibid. Gloſs. v. *Vice omnium*: & ſic de pluribus aliis ſimilibus.

2 Senſus hujus regulæ eſt, cum aliqua res ad duos, vel plures principaliter pertinet, & omnes de illa re diſponere velint, unus autem diſſentiat: potiorem eſſe conditionem illius diſſentientis, hoc eſt potius eſſe deferendum illius unius diſſenſui, quam communi conſenſui reliquorum, ac proinde diſpoſitionem illam in eo caſu, in quo unus diſſentiat, fieri non poſſe.

3 Ratio hujus regulæ eſt: quia equitas petit, ut unicuique jus ſuum ſervetur, eoque non privetur invitus; quam in rem etiam facit l. 74. ff. de reg. Jur. *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*; unde in l. *Juſtitia* 10. ff. *de Juſt. & jure*, precepta Juris eſſe dicuntur, *honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum unicuique tribuere*.

4 Ex hac ratione deducitur, preſentem regulam procedere, etiamſi, qui volunt de illa re communi diſponere, intendant aliquod, quod ceteroquin in commune omnium commodum redundaret, ut puta, ſi velint diruere communem parietem, ut poſtea illum melius ædificent: nam etiam tunc ſola unius prohibitio efficax eſt ad impediendum, ut ſumitur ex cit. l. *Parietem*, ubi dicitur Jus alicui non eſſe parietem communem demoliendi, & reficiendi, *quia non ſolus Dominus eſt*.

5 Intelligenda tamen iſta ſunt de iis diſpoſitionum generibus, ex quibus aliquod præjudicium naſceretur ſocio; ſecus enim accidit, ubi ſocii nil intereſt, ut puta ſi quis vellet eumdem parietem incruſtare, vel pingere, vel aliud ſimile facere, ut ex aliquot Juribus notat Gloſs. ex

qui-

Trid. quod ſeſſ. 24. De reform. Matrimonii c. 3. prorſus tollit juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt: ubi autem valida fuerint, decernit, ut primum gradum non excedant: quod decretum procedere tantum in ſponſalibus de futuro, non autem in Matrimonio, declaravit authentice S. Pius V. in conſtit. quæ incipit *Ad Romanum* edita die prima Julii anno 1568. adeoque in Matrimonio durare impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.

5 Demum ejuſdem rei exemplum eſt in tranſgreſſionibus legis, & actionibus malis, quæ quamvis a jure approbatæ non ſint, & debeant pro infectis haberi juxta regulam inferius explicandam: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, relinquunt tamen effectum aliquem nempe reatum ad pœnam, ratione cujus transgreſſores illi ſæpe ſunt impediti ad hoc, ut promoveantur, aut aliquod commodum acquirant, quod ceteroquin conſequi potuiſſent, ut ſumitur ex c. 1. 2. & 3. diſt. 50.

R E G. L I I I.

Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

1 DEſumitur ex l. *Non debet* 21. ff. de reg. Juris. Caſus figurari poteſt ex c. *Ex p.* 27. *De Decimis* de quo ſupra dictum eſt in explicatione regulæ Odia reſtringi, &c. Conceſſit Summus Pontifex quibuſdam Monachis privilegium percipiendi decimas de laboribus terræ Parochiarum ſua-

ſuarum. Poſt aliquod tempus facta fuerunt novalia, hoc eſt exculta fuit quædam terræ pars inter eaſdem Parochias, quæ retroactis temporibus ab hominum memoria numquam fuerat exculta. Quæſitum eſt, utrum etiam ex illis Novalibus percipi deberent Decimæ? Reſponſum eſt affirmative propter rationem hujus regulæ, quia ſi illis Religioſis conceſſum fuerat quod eſt plus; ut ſcilicet percipere poſſent Decimas integras de Parochiis ſuis, cenſendum fuit conceſſum eſſe etiam minus, ut videlicet percipere poſſent etiam decimas de Novalibus.

2 Hæc regula intelligenda eſt pro iis caſibus, in quibus fieri poteſt extenſio, adeoque in iis, quæ ſunt conformia Juri communi, & propterea cenſentur favorabilia: ſecus autem pro caſibus odioſis, ut puta in privilegiis; & diſpenſationibus derogantibus juri communi; ex qua ratione in c. *Tua* 25. *de Decimis* dicitur conceſſio Laicis facta de percipiendis decimis non eſſe extendenda ad novalia, adeoque in eo caſu, cui licet quod eſt plus, non licet quod eſt minus, quia ſcilicet eſt caſus odioſus, ſeu derogans juri communi, juxta quod Decimæ non ſolvuntur Laicis, ſed Clericis, ut explicatum eſt in reg. 15. *Odia reſtringi*.

3 Item plus hæc regula intelligenda eſt pro iis caſibus, in quibus plus, & minus, ſunt ejuſdem generis, & qualitatis: ſecus autem ſi diverſæ qualitatis, ut late declarat Barb. in tract. de locis communibus argumentor. Juris loco 67.

4 In caſibus igitur ſub regula comprehenſis valet argumentatio a majori affirmative ad minus, ut v. g. Ex eo, quod quis teſtamentum faciendi facultatem habeat, inferri poteſt eumdem

poſſe etiam donare cauſſa mortis, ut de facto infertur expreſſe in l. *Filius Familias* 7. *in fine*, ff. *De Donationib.* quia teſtamentum facere plus eſt, quam aliquid donare cauſſa mortis. Item ex eo quod Judex licet invitus dari poſſit ex l. *Munerum* 18. §. *Judicandi*, ff. *de muneribus, & honorib.* infertur, eumdem dari quoque poſſe, cum ignorat ſe dari, quod minus eſt: & ſic de aliis ſimilibus.

5 Inde eſt, quod docent communiter Canoniſtæ, valere quoque argumentationem a minori negative ad majus, hoc eſt ex eo quod non liceat id, quod minus eſt, inferri poſſe a fortiori, nec licere, quod majus, quod expreſſe etiam dicitur in c. *Cum illorum* 22. *de ſent. excom.* ubi ex eo, quod Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſit negata facultas abſolvendi eos, qui excommunicati ſunt propter percuſſionem Clerici, infertur negatam quoque ipſis cenſeri debere facultatem diſpenſandi cum iiſdem excommunicatis, ut ad Ordines poſſint promoveri. Ex eadem ratione, qui prohibitus eſt a minoribus honoribus, cenſetur quoque prohibitus a majoribus, & ſic de aliis; quod potiſſimum procedit, ubi prohibitio illa fundatur in delicto, ut notat Maſcard. de probat. (concl. 1252. nu. 2.) Secus enim nonnumquam accidit, ubi in aliena cauſſa ſpeciali fundatur, puta in mandatis Principis, quæ diligenter ſervanda ſunt, adeoque ſi ſit mandatum de providendo beneficio majori, illud tantummodo provideri poterit; non autem beneficium minus, ut habes exemplum in c. *Cui de non Sacerdotali* 27. *de præbend. in 6.* de quo dictum eſt ſupra in explicatione reg. 35. *Plus ſemper in ſe continet &c.*

6 Con-

6 Contra id, quod ſupra diximus, regulam iſtam non procedere in caſibus, ſeu derogantibus juri communi, objici poteſt ex c. *Per Venerabilem* 13. *Qui filii ſint legitimi*, ubi ex poteſtate legitimandi in ordine ad concedendam habilitatem ad actus nobiliores, videtur inferri poteſtas legitimandi in ordine ad actus ignobiliores, per illa verba: *quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori*: poteſtas enim legitimandi eſt in genere odioſo: quare ſi in ea dimittitur ea extenſio a majori ad minus, dicendum erit præſentem regulam locum habere etiam in odioſis.

7 Ad hanc difficultatem rejectis aliorum ſolutionibus, reſpondet Barb. ad præſentem reg. n. 8. argumentum illud a majori conceſſo ad minus, non eſſe verba ipſius Pontificis id aſſerentis, ſed partis proponentis, & petentis legitimationem etiam pro obtinenda habilitate ad actus ignobiliores: & de facto patet ex contextu ejuſdem capitis, Summum Pontificem motum fuiſſe ad concedendam prædicto modo legitimationem, non ex vi illius illationis, ſeu extenſionis, ſed aliunde, videlicet ex auctoritate Novi, & Veteris Teſtamenti, ut ibid. videre eſt.

R E G. L I V.

Qui prior eſt tempore, potior eſt Jure.

1 HÆc regula ſumpta eſt ex leg. *Quoties utriuſque* 98. ff. *de reg. jur.* Caſus proponi poteſt ex c. *Cum certum* 1. *De majoritate, & obedientia*, ubi Gregorius formam præſcribens novæ Angelorum Eccleſiæ, & in quibuſdam ejus Regni civitatibus Sedem Epiſcopalem con-

conſtituens declarat inter eoſdem Epiſcopos eam impoſterum ſervandam eſſe diſtinctionem honoris, ut ille prior habetur, qui prior fuerit ordinatus. *Vide Onnate tom. 2. pag. 995.* Exemplificari quoque idem poſſet ex cap. *Eum, cui* 7. de præb. in 6. in caſu, quo Summus Pontifex præcipit provideri Titio beneficium, ſi quod vacaret alias proxime vacaturum in quadam Eccleſia; & poſt aliquod tempus ſimile præceptum dedit, ut provideretur beneficium Cajo: in quo caſu declaratur ibid. præferendum eſſe Titium in aſſecutione præbendę: quia videlicet eſt prior tempore quoad conſecutionem reſcripti. Demum exemplificari poteſt in pluribus creditoribus, ex quibus qui creditum antiquius habet, prius ſatisfaciendus eſt a debitore, quam creditores reliqui, ſi cetera ſit paria.

2 Uſus hujus regulæ ſatis evidenter apparet, quando unus alterum præcedere debet in aliquo actu faciendo, aut in aliquo ſigno honoratæ præeminentiæ, ut puta ceteris paribus, qui prior eſt tempore, primum locum habet in ſedendo, in dando ſuffragia, in ſubſcribendo, & ſic de reliquis.

3 Dixi *ceteris paribus*. Secus enim accidit, quando aliqua circumſtantia intervenit, quæ prevalet majori antiquitati temporis. Sic receptus auctoritate Sedis Apoſtolicæ in Canonicum alicujus Eccleſiæ, debet in aſſecutione præbendæ præferri ceteris, qui recepti fuerint in Canonicos ejuſdem Eccleſiæ auctoritate alicujus inferioris Collatoris ex cap. *Ii, qui* 12. *de præbend. in 6.* quia videlicet concurrit reverentia, quæ debetur Sedi Apoſtolicæ. Item ſi aliqua res, puta aliquod prædium vendatur Titio, & poſtea idem

idem vendatur Cajo, ſimulque eidem Cajo actualiter tradatur poſſeſſio prædii. Cajus præfertur Titio quoad detinendum dominium prędii, quamvis Titius ſit prior tempore, quia ſcilicet in favorem Caii ſtat adminiculum actualis poſſeſſionis, quod prævalet prioritati temporis Titii, ex l. *Quoties* 15. *C. De rei vindicatione*. Ac propterea Titius pro eo caſu habet ſolum jus ex empto ad exigendum, ut ſibi a venditore, qui fidem contractus fregit, præſtetur quanti ſua intereſt, juxta textum expreſſum in l. *Qui ſibi hereditatem* 6. *C. de hereditate, vel actione vendita*. Item creditrix dotalis prefertur etiam quibuſvis anterioribus creditoribus, ut tradit Gloſs. ad præſentem reg. ex l. *Aſſiduis* 12. *C. qui potioris in pignore*; niſi tamen de duplici credito dotalis quæſtio eſſet, in qua locum haberet regula præſens, ut qui prior eſt tempore, potior ſit jure. Idem dic de aliis ſimilibus.

4 Notandum autem eſt regulam iſtam procedere quoad determinandam prælationem juris unius perſonæ, præ jure alterius; non autem quoad determinandam prælationem unius actus præ alio. In his enim ſæpe contingit oppoſitum, videlicet actum illum alteri prævalere, qui poſteriori tempore poſitus fuerit; quod ſpecialiter apparet in actibus ab unius, ejuſdemque voluntate pendentibus, aut puta in duobus teſtamentis ab eodem Titio factis, quorum poſterius prævalet in duabus legibus contrariis ab eodem Legislatore ſucceſſive promulgatis, quarum poſterior viget, & ſic de reliquis. Ratio quare in his actus poſterior prævalet, eſt, quia voluntas, a qua illorum actuum validitas pendet, per actum poſteriorem cenſetur revocare priorem.

REG.

R E G. L V.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra.

1 DEſumitur ex l. *Secundum naturam* 10. ff. *de reg. jur.* Caſus a Gloſs. figuratur ex c. *De lapſis* 5. 16. *q.* 6. Titius Sacerdos propter delictum perpetratum condemnatus fuit ad agendam toto vitæ tempore pęnitentiam in quodam Monaſterio. In eo caſu ſtatutum fuit, ut res ipſius traderentur Monaſterio, ut Monaſterium de illius correctione ſollicitudinem gerens, de ejus quoque rebus haberet ſubſidium, quia qui ſentit onus, ſentire debet etiam commodum. Ex eadem quoque ratione decernitur in c. *Certificari* 9. *De Sepulturis*, ut ſi quis ſepulturam eligat extra ſuam Eccleſiam Parochialem, ſolvi tamen debeat Eccleſiæ Parochiali portio Canonica juxta conſuetudinem regionis, quia videlicet, ſicut Eccleſia Parochialis curam, & ſollicitudinem illius habuit, ita pariter debet eſſe particeps emolumentorum. Demum ex eadem ratione ſtatuitur in c. *Significatum* XI. *de Præb.* ut Clericus fructum, & emolumentum percipiens alicujus Eccleſiæ, teneatur quoque eidem Eccleſię famulatum illum præſtare, qui annexus eſt ſuæ præbendæ, cum beneficium detur propter officium c. fin. *de reſcr. in* 6.

2 Hæc regula in duas partes, ſeu potius in duas regulas dividitur, quarum prima eſt: qui ſentit onus, ſentire debet commodum; altera autem in his verbis *& econtra* incluſa eſt: qui ſentit commodum, ſentire debet onus. Utraque iſtarum partium fundamentum habet ab ęquitate,

te, ut de prima conſtat ex cit. l. 10. ff. de reg. jur. ubi dicitur: *ſecundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda*, de altera autem ex l. unica §. *pro ſecundo C.* de caducis tollendis, ubi habetur, *neque enim ferendus eſt is, qui lucrum amplectitur, onus autem ei annexum contemnit*.

. 3 Intelligenda tamen iſta ſunt, ſi commodi, & oneris ſit eadem prorſus ratio, & cauſſa: ſecus autem ubi eſſet diverſa ratio, ut notat Bart. ad cit. l. *Secundum naturam*, ſumiturque ex pluribus juribus ibid. allegatis a Gloſs. Exemplum habes in leg. *Si negotia abſentis* XI. ff. *De negotiis geſtis*, ubi dicit, quod ſi quis negotia abſentis, & ignorantis gerat, ac preſertim ſi nomine ejuſdem abſentis, & ignorantis aliquod negotium tractet, quod non ſit ſolitus abſens facere, veluti aliquam negotiationem inſolitam ineundo; tunc præſtare tenetur non ſolum culpam, & dolum, ſed etiam caſum: unde ſi quod damnum ex ea re ſecutum fuerit ipſum ſequetur, lucrum autem ſequetur abſentem. Ratio eſt: quia in eo caſu intervenit culpa ipſius, immiſcendo ſe in ſolito negotio nomine abſentis, & ignorantis, cui culpę imputare debet damnum, quod ſentit, non autem ipſi negotio ſecundum ſe. Item aliud exemplum habens in l. *Sed & Socius* 17. §. *ſi abſenti* ff. *pro ſocio*, ubi dicitur, quod ſi duo fecerint inter ſe contractum ſocietatis, & unus illorum ſocietati renuntiet, ſocio ſuo abſente, id, quod interim renuntiator acquirit, quamdiu abſens hoc ſciat, commune eſt; detrimentum autem eſt illius ſolum, qui renuntiavit: econtra ſi abſens lucretur, ad eum ſolum pertinet lucrum; com-

mune

uno ipſorum prohibente, ex cap. *Quia propter* 42. *de Elect.* juncta ibid. Gloſs. v. *Vice omnium*: & ſic de pluribus aliis ſimilibus.

2 Senſus hujus regulæ eſt, cum aliqua res ad duos, vel plures principaliter pertinet, & omnes de illa re diſponere velint, unus autem diſſentiat: potiorem eſſe conditionem illius diſſentientis, hoc eſt potius eſſe deferendum illius unius diſſenſui, quam communi conſenſui reliquorum, ac proinde diſpoſitionem illam in eo caſu, in quo unus diſſentiat, fieri non poſſe.

3 Ratio hujus regulæ eſt: quia equitas petit, ut unicuique jus ſuum ſervetur, eoque non privetur invitus; quam in rem etiam facit l. 74. ff. de reg. Jur. *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*; unde in l. *Juſtitia* 10. ff. *de Juſt. & jure*, precepta Juris eſſe dicuntur, *honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum unicuique tribuere*.

4 Ex hac ratione deducitur, preſentem regulam procedere, etiamſi, qui volunt de illa re communi diſponere, intendant aliquod, quod ceteroquin in commune omnium commodum redundaret, ut puta, ſi velint diruere communem parietem, ut poſtea illum melius ædificent: nam etiam tunc ſola unius prohibitio efficax eſt ad impediendum, ut ſumitur ex cit. l. *Parietem*, ubi dicitur Jus alicui non eſſe parietem communem demoliendi, & reficiendi, *quia non ſolus Dominus eſt*.

5 Intelligenda tamen iſta ſunt de iis diſpoſitionum generibus, ex quibus aliquod præjudicium naſceretur ſocio; ſecus enim accidit, ubi ſocii nil intereſt, ut puta ſi quis vellet eumdem parietem incruſtare, vel pingere, vel aliud ſimile facere, ut ex aliquot Juribus notat Gloſs. ex qui-

quibus nihil præjudicii redundat in Socium. Item intelligenda ſunt, ſuppoſito quod lex ex aliqua urgenti cauſſa publicæ utilitatis pro aliquo caſu non decreverit, ſufficientem eſſe conſenſum majoris partis pro aliqua diſpoſitione facienda, ut eſt exemplum in c. 3. *De Jure patronatus*: quod ſi plures Patroni habentes Jus præſentandi diſcordent in præſentando, præferri debeat preſentatus a majori parte, de quo caſu diximus in explicatione regulę *Quod omnes tangit* 29. hujus tituli, quæ huic præſenti regulæ conſonat, pro cujus ulteriori intelligentia, vide quæ ibid. dicta ſunt.

R E G. L V I I.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.

1 DEſumitur ex l. *in contrahenda vendicatione* 132. ff. *de reg. Jur.* l. *Cum in lege venditionis* 33. ff. *De contrahenda emptione*, l. *Veteribus* 39. ff. *de pactis*, aliiſque Juribus. Caſus figuratur ex c. l. *Cum in lege* in aliquo contractu, puta in contractu venditionis, in quo venditor conditionem aliquam, ſeu pactum appoſuerit, cujus verba ambigua ſint, & multiplicis ſenſus capacia, quorum aliquis magis faveret venditori, alter autem minus. Pro tali caſu ſtatutum ibi eſt, primum ſpectari debere, quid actum ſit, hoc eſt ſpectandas circumſtantias, ex quibus rationabiliter, & prudenter deſumi poſſit ambiguæ orationis interpretatio: quod ſi nullatenus ex circumſtantiis ipſis colligi illa non poſſit; tunc verba illa in eo caſu accipi debeant, in quo magis noceant Venditori, qui

ſuæ

ſuæ culpæ imputare debebit, quod contra ipſum interpretatio fiat, cum legem, ſeu pactum dicere potuerit apertius.

2 Hęc regula locum habet præſertim in contractibus, ubi nomine legis intelligitur pactum a contrahentibus adjectum, quomodo etiam ſumitur in l. *Contractus* 23. ff. *de reg. Jur.* in l. *Legem* 10. *C. de pactis*, aliiſque Juribus. Item procedit hæc regula, ubi pactum adjectum, hoc poteſt aliunde ex circumſtantiis explicari; tunc enim explicandum eſt in ſenſu minus favorabili ei, qui illud appoſuit. Quod ſi is prætendat ſe in alio ſenſu locutum eſſe, incumbit ei onus id probandi, & ſi in tali probatione deficiat, prævalet explicatio ipſi magis nociva.

3 Inter reliquas autem circumſtantias, ex quibus nonnumquam ſumi poteſt interpretatio pacti ambigui in partem magis favorabilem ei, qui pactum appoſuit, una eſt, ſi contractus, aut pactum ipſum alias redderetur inutile. Exemplum habes in leg. *Eum qui* 41. ff. De Verb. Oblig. Quidam ſtipulatus eſt & pactum adjecit, ut ſolutio fieri deberet a debitore Kalendis Januarii, non explicando tamen utrum fieri deberet primis Kalendis, an ſecundis, an tertiis &c. ſeu utrum ſolutio fieri deberet Kalendis Januarii anni proxime venturi, an anni ſecundi, an tertii &c. Pro eo caſu decretum eſt intelligendum eſſe pactum illud de Kalendis venturis anno proxime ſequenti, adeoque explicandam eſſe illam ſtipulationem ambiguam in ſenſu magis favorabili ei, qui ipſam appoſuit. Ratio eſt: quia alias ſtipulatio illa redderetur inutilis, quia poſſet debitor pro ſuæ voluntatis arbitrio ſemper differre ſolutionem

nem

nem ad annos futuros ulteriores, & ulteriores.

4 Quęri poteſt utrum non ſolum in Contracti-bus, ſed etiam in aliis actuum generibus, puta in teſtamentis, in reſcriptis, in legibus, in Judiciis &c. ſemper, & univerſaliter interpretatio fieri debeat contra eum, qui talem actum ponit. Sed quia pro his res eſt ex particularibus principiis earumdem materiarum, non autem ex vi hujus regulæ decidenda, non eſt hic locus longius immorandi. Plura illorum indicantur hic a Gloſsa, ubi videri poſſunt.

R E G. L V I I I.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

1 DEſumitur ex c. *Sicut* 13. c. *quanto* 18. *De Jurejurando*, c. 1. eod. tit. in 6. c. 1. & ſeqq. 22. q. 4. aliiſque Juribus. Exemplum poni poteſt ex cit. cap. *Sicut*, ubi caſus exponitur de Priore cujuſdam Monaſterii, qui iracundiæ calore ſuccenſus juravit, ſe in Monaſterio, in quo profeſſus erat, ulterius cum alio quodam Monacho non manſurum. Ea recognita Urbanus III. injungi præcepit eidem Priori talem pęnam, ut alii in exemplo ejus deterriti aliquid ſimile facere pertimeſcerent, ſimulque decrevit, ut idem Prior in Clauſtro, quippe quod abjurare non potuit, ſtabili propoſito permanens injunctam ſibi pœnitentiam exequeretur.

2 Ratio hujus regulæ indicatur ex cit. c. *Quanto*, & in cit. c. 2. *De jurejurando in* 6. quia ſcil. juramentum non fuit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis. Huc etiam facit reg. 6. hujus titu-

titnli ſupra explicata. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, ubi diximus ſub nomine impoſſibilis contineri etiam ea, quę ſunt impoſſibilia Jure, hoc eſt, quæ prohibita ſunt, & bonis moribus adverſantur: unde in cap. *Si vero aliquis* 8. *De jurejurando*, traditur generalis doctrina, ſervandum eſſe juramentum, niſi tale ſit, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ.

3 Quæri poteſt, quid intelligatur in regula per bonos mores? Ratio dubitandi eſt: quia boni mores multipliciter dicuntur. Alii enim ita vocantur, quia præcepti ſunt a Jure naturali, eidemque conformes: alii, quia præcepti a Jure Divino: alii, quia præcepti a Jure Canonico: alii demum, quia præcepti a Jure civili. Numquid autem de iſtis omnibus, & ſingulis bonorum actuum generibus intelligendus eſt textus pręſens?

4 Reſpondetur extra controverſiam eſſe, per bonos mores in præſenti textu intelligi debere tum actus a jure naturali preceptos, tum etiam actus præſcriptos a Jure Divino & Canonico, quia omnia iſta jura violari non poſsunt abſque ſalutis diſpendio. Sed & intelligi quoque debent ex eadem ratione boni mores civiles, ubi tales abſque culpa violari non poſſint. Secus autem eſt, ubi actus eſt a Jure civili prohibitus in hoc ſenſu, quod ſit ab eodem Jure quoad forum externum invalidatus; ceterum nihil culpę pro foro conſcientiæ in ſe contineat: Ejuſmodi enim actus interpoſito juramento confirmatur. Exemplum habes in cap. *Cum contingat* 28. *De jurejurando*. Quamvis enim de jure civili, nulla ſit alienatio facta ſine auctoritate Judicis a muliere de rebus dotalibus, aut ſibi donatis propter nuptias, ut conſtat ex auct. *Sive a me*, C. adi

ad *Senatus conſult. Vellejanum*; ſi tamen alienationi juramentum apponat, eamdem confirmat. Videri poteſt Azor. p. I: lib. XI. c. 7. ubi pluribus hanc rem proſequitur.

R E G. L I X.

Dolum facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.

1 DEſumitur ex l. *In condemnatione* 133. §. ult. ff. de reg. Jur. Caſus figurari poteſt ex c. *Debitores 6. De jurejurando*. Titius Uſurarius mutuavit Cajo pecuniam ſub uſuris. Poſt aliquod tempus reddidit Cajus pecuniam mutuatam, ſed nihil ſolvit de Uſuris: numquid in eo caſu Titius uſurarius habuit jus cogendi Cajum ad ſolvendas uſuras? Reſponſum eſt negative, quod procedit propter rationem hujus regulæ: quia ſcilicet etiamſi Titius uſurarius reciperet illas uſuras a Cajo, reciperet indebitum, unde & reſtituere teneretur eidem Cajo. Doloſe igitur peteret, quia dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem. Excipe tamen, niſi Cajus juramento promiſiſſet ſe ſolutum uſuras: quia tunc, ſi non ratione juſtitię, ſaltem ratione juramenti, & ex virtute Religionis ſolvere teneretur, quamvis poſtea ſolutas repetere poſſit, & Uſurarius reddere teneatur.

2 Ratio hujus regulæ eſt: quia cum in illo petente non poſſit eſſe juſta cauſſa petendi, immo ſtatim appareat mala fides, ſtatim etiam fallere, & circumvenire videtur: ut quid enim petit id, quod ſtatim reſtituere tenetur, niſi ut decipiat, & circumveniat?

3 Duo tamen circa hanc regulam hic notantur a Gloſſa. Primum eſt, ipſam procedere, quando res, quæ petitur, ſtatim reſtituenda eſſet ei, a quo petitur: ſecus enim eſſet ſi res illa reſtituenda eſſet alteri perſonæ. Exemplum habes l. ult. §. *Sed cum*, *C. De furtis*, *& ſervo corrupto*, in Commodatario, qui rem ſibi a Titio commodatam repetere poteſt a fure, qui eam furatus eſt, ut poſtea idem commodatarius reddat Titio. Item ſecus eſſet, ſi res eſſet reſtituenda non ſtatim, ſed poſt aliquod tempus, ante cujus terminum haberet repetens jus poſſidendi talem rem, ut accidit in fideicommiſſario, qui jus habet poſſidendi rem, durante tempore, ſub quo factum eſt fideicommiſſum, quod eſt exemplum in l. ult. §. *Idem quæſit.* ff. *Ut legatorum, ſeu fideicommiſſorum ſervandorum nomine caveatur.*

4 Alterum, quod notatur, eſt, præſentem regulam non procedere, ubi aliquid petitur in judicio poſſeſſorio, etiamſi id, quod petitur reſtituendum poſtea ſit ex judicio petitorio. Ad hujus intelligentiam adverte nomine judicii poſſeſſorii intelligi judicium illud, in quo agitur de poſſeſſione recuperanda, aut retinenda &c. Nomine judicii petitorii intelligi judicium, in quo contenditur de proprietate; ſeu de jure, aut dominio alicujus rei. Hoc ſuppoſito, cum Titio non liceat propria auctoritate alium ſpoliare aliqua re, quamvis ea ceteroquin ipſi debeatur, ſed, ſi opus ſit, debeat potius recurrere ad Judicem, per cujus ſententiam obtineat id, quod ſibi debetur; ſi contingat v. g. Titium privata auctoritate, & abſque conſenſu Caii occupare rem poſſeſſam a Cajo, quæ

ceteroquin ipſi Titio debetur titulo legati; poteſt Titius intentare judicium poſſeſſorium contra Cajum, ut reſtituat rem ita injuſte occupatam; quamvis ceteroquin idem Cajus prętendere poſſit jus ad illam eamdem rem, ſeu intentare contra Titium judicium petitorium, vi cujus obtinere poterit illam eamdem rem, de quo caſu ſermo eſt in l. 1. ff. *Quorum legatorum*, & ad eumdem facit c. *Cum Eccleſia* 3. *De caſu poſſeſſionis, & proprietatis.*

R E G. L X.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

1 DEſumitur ex l. *Nulla* 88. juncta l. *Nihil intereſt* 112. ff. *de reg. Jur.* in quarum prima dicitur, nullam moram ibi fieri intelligi, ubi nulla petitio, ſeu actio eſt: in altera autem habetur æquiparari inter ſe, nullam actionem dari, & datam actionem per exceptionem infirmari. Caſus figurari poteſt ex c. *De quarta* 4. *De præſcript.* Titius cujuſdam Eccleſiæ Beneficiatus non ſolvit quartam decimarum, & funeralium Epiſcopo, quas ceteroquin alii ſolvere ſolent. Numquid in eo caſu dicendus eſt eſſe in mora ſolvendi, & conſequenter ea pœna puniendus, quæ per Epiſcopum ſtatuta ſit contra moroſos in ſolvendo? Reſpondetur cum diſtinctione: vel enim Titius habet aliquam exceptionem, ſeu defenſionem legitimam, quare non ſolverit, ut puta, quia alii ejuſdem Eccleſiæ Beneficiarii Anteceſſores ſui beneficium præſcriptionis acquiſiverunt, numquam ſolvendo per tot annos, quot requiruntur

tur ad acquirendam eam præſcriptionem; vel nullam ejuſmodi exceptionem, ſeu defenſionem legitimam habet. Si nullam habet, dicitur eſſe in mora, adeoque puniendus eſt pœna ſtatuta: ſecus ſi poteſt legitima excuſatione ſe tueri, quale eſt v. g. beneficium legitimæ præſcriptionis &c.

2 Pro intelligentia hujus regulæ revocanda ſunt in memoriam ea, quæ diximus in explicatione reg. 25. *Mora ſua cuilibet eſt nociva*, ubi dictum eſt, nomine moræ intelligi culpabilem tarditatem in aliqua re præſtanda damnoſam alteri ex l. *Mora fieri* 32. ff. *De uſuris*, juncta ibid. Gloſs. v. *Difficilis eſt*, ubi etiam plures effectus enumerat provenientes a mora.

3 Ex his deducitur ejuſdem regulæ ratio: nam ille dicitur eſſe in mora, qui culpabiliter differt alteri ſolvere, vel facere aliquid, quod debet: non differt autem culpabiliter niſi qui ſcit, vel ſcire debet ſe debere: ſed ille, qui pro ſe habet exceptionem legitimam, neque ſcit, neque ſcire debet ſe debere; immo potius beneficio ejuſdem exceptionis judicat invincibiliter ſe liberum ab obligatione ſolvendi; ergo non eſt in mora.

4 Notandum tamen hic eſt cum Gloſſa, ſermonem in regula eſſe non de qualibet exceptione, ſed de exceptione legitima: non enim omnis, & quælibet exceptio ſufficiens eſt, ut quis non dicatur incurriſſe in moram, ſed ſolum ea, quæ legitima eſt, hoc eſt, quæ deducta ad forum externum probaretur, eo quod nulla replicatione infirmari, & elidi poſſit. Quod ſi exceptio elidi poſſit aliqua replicatione, tunc non excuſat a mora. Exemplum afM 2 fert

fert Gloſs. in materia ſolutionis. Titius v. gr. debebat tibi 100. feciſti pactum cum eodem Titio de non petendo ſolutionem illius debiti, ſed illud pactum feciſti gravi metu compulſus, aut ſine uſu libertatis. Hoc ſuppoſito, ſi Titius tibi non ſolvit, dicitur eſſe in mora, nec excuſatur per exceptionem pacti, quia talis exceptio non eſt legitima, cum poſſit per replicationem elidi, dicendo pactum illud fuiſse nullum, utpote factum ſine uſu libertatis &c. Idem dic pro aliis caſibus ſimilibus, ubi contra exceptionem militare poteſt aliqua efficax replicatio, quæ illius vim prorſus infirmet.

R E G. L X I.

Quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.

1 DEſumitur ex l. *Nulla juris ratio* 25. ff. *de Legibus*, & l. *Quod favore* 6. eod. tit. Exemplum poni poteſt ex cap. *Exceptionem* 63. De reg. Jur. in 6. quod paullo poſt infra explicabitur, ubi dicitur: *Exceptionem objicens, non videtur de intentione Adverſarii confiteri*. Ut v. gr. ſi in aliquo judicio Reus conveniatur a Titio ſuper re, quam Titius contendit ad ſe pertinere; at Reus in contrarium excipiat ſe poſſediſſe illam rem per tempus ſufficiens ad præſcriptionem complendam; tunc ejuſmodi exceptio, quæ conceditur Reo, non debet in ejuſdem diſpendium retorqueri, quaſi ipſe ita explicando, confiteatur implicam intentionem Actoris, quod ſcilicet illa res ad Titium Actorem pertineat. Sed hæc clarius patebunt ex paullo infra dicendis in explicatione cit. *Exce-*

ptio,

ptionem. Item figurari poteſt caſus ex l. *Non eo minus* 14. C. *De procurat*. Titius in minoritate conſtitutus pro cauſſa civili conſtituit Procuratorem ſine auctoritate Curatoris, qui Procurator admiſſus fuit, unde proceſſum eſt in judicio uſque ad ſententiam definitivam, quæ lata fuit in favorem ejuſdem Titii. Talis ſententia in eo caſu numquid valida eſt, & ſuſtinenda? Ratio dubitandi eſt: quia ſi fuiſſet lata ſententia contra Titium, non valeret, ex eo quod non interveniſſet auctoritas Curatoris: ergo pari jure ex eadem ratione non valet ſententia lata in favorem Titii. Hoc non obſtante tamen in cit. textu decernitur ejus ſententiæ validitas; nam favore Minoris introductum eſt, ut lata ſententia contra ipſum in eo caſu non tendat in ejus læſionem. Si igitur ex hoc inferretur neque valere ſententiam in ſimili caſu latam in favorem ipſius, redundaret in ejus diſpendium id, quod eadem conceſſum eſt ob gratiam, & ex eo damnum pateretur, quod ſtatutum eſt ne damnum patiatur.

2 Hęc regula præcipuum locum habet in privilegiis beneficii loco conceſſis a Principe, quæ retorqueri non debent in damnum privilegiatorum, quia mens Principis fuit non ipſis privilegiatis nocere: dum privilegia conceſſit, ſed prodeſse. Idque præſertim procedit quando beneficium, ſeu privilegium conceſſum ſit a Principe motu proprio, puta Minoribus, aut Eccleſiis: quia ejuſmodi conceſſio ex majori liberalitate, & beneficientia procedere cenſetur ceteris paribus, quam ſi fiat ad inſtantiam petentis. Idem eſt, quod conceſſio facta ad inſtantiam petentis, poteſt aliquando in

ejus læſionem retorqueri, ut habes exemplum in cap. final. *De mutuis petitionibus*, ubi ſi aliquis Actor impetraverit, ut ſua cauſſa cognoſcatur, appellatione remota, retorquetur contra ipſum iſta conceſſio, ut ſi in eodem judicio reconveniatur a Reo, etiam ipſe non poſſit in cauſſa reconventionis appellare: quia ſcilicet Actoris, & Rei in eodem Judicio debet eſſe eadem conditio. Idem dic pro aliis ſimilibus caſibus, in quibus ex voluntate, vel expreſſa, vel præſumpta Principis, aut ex caſibus juſtitiæ retorqueri debeat contra impetrantem gratia conceſſa, quam in rem etiam facit cap. *Cum omnes 6. de Conſtit.* aliaque Jura, quæ hic citantur a Gloſſa.

REG. LXII.

Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

1 Deſumitur ex l. *Conſilii* 47. ff. *de reg. jur.* l. 2. in fin. ff. *Mandati* l. *& eleganter* 7. §. *ult.* & l. *Quod ſi cum ſcires* 8. ff. *De Dolo malo*, ex quibus caſus ita figuratur. Titius pecuniam habebat, circa quam dubius erat, utrum deberet illam exponere negotiationi, an potius inſumere in emptione prædiorum. Tu dediſti conſilium, ut ſuam pecuniam negotiationi potius, quam emptioni prædiorum applicaret, & ita reipſa factum eſt. Contigit auten negotiationem ſuſceptam in irritum cecidiſſe, immo & periiſſe ipſam pecuniam illi negotiationi applicatam, ut puta quia navis, cui commiſſa fuit, naufragium paſſa eſt, aut in manu hoſtium pervenit, &c. Titius eo damno accepto, vult agere

re

re contra te, eo quod tale conſilium dederis, ut reſtituas damna, & intereſſe, quę ipſe paſſus eſt ex conſilio tuo. Numquid in ea prætenſione erit audiendus? Reſpondetur cum diſtinctione: vel conſilium, quod dediſti fuit fraudulentum, ſeu doloſum, ut v. g. quia jam ſciebas illud imminere periculum damni ex negotionem proventuri, quod Titio non aperuiſti, ſed ipſum decepiſti: vel conſilium non fuit fraudulentum, ſeu doloſum, ſed bona fide datum cum invincibili ignorantia periculi, ac damni proventuri. Si fuit fraudulentum, audietur Titius; & tu obligaberis: ſecus autem, ſi fraudulentum non fuerit.

2 Ad intelligentiam regulæ notandum eſt, ſermonem hic eſſe de conſilio, quod datur ad contractum de natura ſua licitum, vel quaſi contractum. Si enim detur conſilium ad aliquod opus illicitum, aut alicui injurioſum tunc ſemper tenetur conſulens ad reſtituendum ei, contra quem injuria facta eſt, ut docet hic Gloſs. quia ejuſdem injuriæ eſt cauſſa moralis; unde ſi quis conſulat homicidium, homicida cenſetur ex cap. *Si quis Viduam* 9. diſt. 50. Si furtum conſulat, tenetur furti, ex l. 1. §. *Perſuadere* ff. *de ſervo corrupto*, & ſic de reliquis. Si autem detur conſilium ad contractum, vel quaſi contractum licitum; tunc procedit diſtinctio expreſſa in pręſenti regula, utrum ſcilicet ſit conſilium fraudulentum necne? Si enim fraudulentum eſt, tenetur conſulens titulo fraudis, & actione de dolo, ratione cujus eſt cauſſa moralis damni ſecuti; ſecus autem ſi fraudulentum non ſit, quia tunc ei damnum moraliter non imputatur, cum invincibiliter nullo modo fue-

rit prævisum. Quæ ratio videtur melius procedere, quam ratio hic adducta a Gloſſa, quæ docet, ideo neminem obligari ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, quia conſilium non inducit neceſſitatem, & ille, cui datur, deliberare debet apud ſe, an ſibi expendiat, necne. Hæc enim ratio non videtur efficax: quia etiam conſilium ad opus injuſtum, & conſilium fraudulentum non inducit neceſſitatem, & tamen inducit obligationem conſulenti.

3 Notandum præterea eſt, præſentem regulam non procedere in eo, qui, ut peritus in arte, profitetur aliquod Officium, cujus proprium eſt dare conſilia, qualis eſt Aſſeſſor, Advocatus, Judex, Doctoreſque: hic enim ex iniquo conſilio, quamvis non fraudulento, per imperitiam præſtito tenetur, ut conſtat ex l. 2. in fin. ff. *quod quiſque juris*, & tradit Abb. Panorm. in cap. *Tua nos* 19. *De homicidio n.* 3. & Navar. in Manuali c. 25. n. 15.

4 Notandum denique eſt, eſſe ſententiam plurium Canoniſtarum, præſentem regulam extendi tantum ad eos caſus, in quibus conſilium datur alicui ad faciendum contractum, aut quaſi contractum, quem alias etiam facturus erat: tunc enim procedere docent diſtinctionem regulæ, itaut conſulens teneatur, ſi conſilium fraudulentum fuerit; non teneatur niſi fuerit. At ſi conſilium detur alicui ad id, quod alias non erat facturus, tunc docent indiſtincte conſulentem ſemper teneri. Ita docet Dynus in explicatione præſentis regulæ. Oppoſitum tamen ſentit Philippus Decius in l. *Conſilii* 47. ff. *de reg. Jur. n.* 1. cum aliis, quos citat ibid.

REG.

REG. LXIII.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione Adverſarii confiteri.

1 DEſumitur ex cap. *Cum Venerabilis 6. De Except.* & l. *Non utique 9.* ff. eod. Caſus ſumi poteſt ex eod. cap. *Cum Venerabilis*, ubi habetur, quod ſi Reus, a quo res petitur, excipiat de permutatione ipſius rei facta cum Actore, non fatetur per hoc Actorem fuiſſe Dominum.

2 Ad intelligentiam regulæ, notandum eſt, nomine exceptionis intelligi id, quod a Reo contra Actorem opponitur ad elidendam, aut differendam ejus actionem, unde ex l. 2. ff. *De Exceptionibus* definiri ſolet: *Actionis, vel intentionis Excluſio*, ut puta ſi Reus conveniatur a Titio ſuper re, quam Titius contendit ad ſe pertinere, at Reus in contrarium opponat ſe poſſediſſe illam rem per tempus ſufficiens ad præſcriptionem complendam, ea oppoſitio dicitur exceptio, per quam eliditur actoris intentio, quia ſi legitime probetur ea longi temporis poſſeſſio habita a Reo cum bona fide, & reliquis conditionibus ad præſcriptionem requiſitis, de quibus diximus in explicatione reg. 2. & 3. hujus tituli, deeſt Actori jus ad illam petendam.

3 Ex hac explicatione deducitur ratio præſentis regulæ: nam exceptio ordinatur ad elidendam, ſeu excludendam Actoris intentionem: ergo non poteſt firmare intentionem actoris; alioquin duos effectus oppoſitos ſimul pareret, ſcilicet confirmationem, & excluſionem unius, ejuſdemque intentionis Actoris, quod eſt impoſſi-

 bile,

bile, & contra l. *Qui hominem* 34. §. ult. ff. *de ſolutionibus*, juncta Gloſs. ibid. *ut liberatur*. Atqui exceptio firmaretur intentione Actoris, ſi Reus exceptionem objiciens videretur de intentione Adverſarii confiteri: ergo, &c.

4 Non levis tamen eſt in contrarium difficultas, quæ Doctores diſtraxit in varias ſententias circa intimam intelligentiam hujus regulæ, quas enumerat Panorm. in cit. c. *Cum Venerabilis n.* 26. Nam ut inſiſtamus in caſu litterali ejuſdem Canonis, ſi Reus, a quo res petitur, excipiat, ſe rem illam habere titulo permutationis factæ cum ipſo Actore, quomodo non eo ipſo fatetur rem illam pertinuiſſe ad Actorem? An permutatio cum alio fieri poteſt, quam cum Domino?

5 Hanc difficultatem ſibi objicit Gloſs. in eodem cap. *Cum Venerabilis v. Confeſſus*, & ſolvit dicendo, quod qui excipit permutationem factam, aut aliquid ſimile, tantummodo confitetur factum conſenſum in illa exceptione, puta permutationem materialiter ſumptam, non autem confitetur ea, quæ ſunt Juris circa illam permutationem, quia potuit eſſe permutatio de facto, & non de jure. Inde eſt, quod etiam poſt illam exceptionem appoſitam, incumbit Actori onus probandi jus, quod prætendit ſibi competere, quia illud non fuit confeſſum ab excipiente; & hoc eſt, quod in regula exprimitur in iis verbis: *non videtur de intentione Adverſarii confiteri*. Quod dixi de exceptione permutationis, intellige proportionaliter de aliis exceptionum generibus. Ut ſi quis dicat, ſe tibi mutuaſse, & propterea te cogi ad reſtituendum; tu autem excipias, factum fuiſse

pactum

pactum de non petendo, per hanc tuam exceptionem non cenſeris confiteri te accepiſſe mutum, quia ſolum pactum confiteris materialiter ſumptum, non autem jus ejuſdem pacti, quæ ſunt ſeparabilia, quia fortaſſe pactum fuit de non petendo, eo quod a te non debebatur. Idem dic de reliquis ſimilibus. Hanc Gloſſæ ſolutionem tenet etiam Innoc. & Panorm. in loc. cit.

6 Intelligenda tamen iſta ſunt, ubi ſiſtitur intra terminos puræ exceptionis, nec verba adjiciuntur de ſe confitentia intentionem Actoris. Si enim ita exciperes: Ego accepi rem hanc à te, ſed ſimul pactum fecimus de non petendo; in eo caſu non eſt dubium, intentionem Actoris firmari dicto tuo. Et propterea in ſimili caſu conſulit Gloſs. cit. ut exceptio ita fiat: *Ego non confiteor hoc, quod dicis; ſed ſi feciſſem, factum eſt mihi pactum de non petendo.* Niſi tamen conſcientia, & veritas eſſet in contrarium; in quo caſu non eſſe amplectendam hanc formam verborum, eo quod doceat mentiri, ſed potius ſiſtendum eſſe intra terminos puræ exceptionis tradit Gloſſa ad præſentem regulam. Videri poteſt Panor. in l. c. ubi fuſe hanc rem proſequitur.

7 Denique notandum eſt, quæ dicta ſunt hactenus de exceptione, intelligenda proportionaliter eſſe etiam de replicatione, de duplicatione, & de triplicatione. Ubi adverte, quod ſicut id, quod reus opponit ad excludendam intentionem Actoris, dicitur exceptio, ita ſi quid Actor opponat ad excludendam eam exceptionem dicitur replicatio, & ſi iterum aliquid Reus opponat ad excludendam eam re-

plicationem, dicitur duplicatio, contra quam ſi Actor iterum opponat aliquid dicitur triplicatio. Sumuntur hæc ex §. 1. Inſtit. de replicationibus. Sicut igitur Reus excipiens non confitetur intentionem actoris, ita nec Actor replicans confitetur exceptionem Rei, & ſic ulterius propter eamdem rationem, ut notat Gloſs. fin. ad præſentem regulam.

REG. LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

1 DEſumitur ex c. *Imperiali* 13. 25. q. 2. ex c. 2. *De Teſtibus*, aliiſque textibus. Caſus figurari poteſt ex eod. c. 2. *De Teſtibus*; ubi Greg. IX. declarat receptionem, & examinationem teſtium factam contra non citatum eſſe nullam, utpote factam contra legem expreſſam in auct. *De Teſtibus* §. *Et hic vero collat.* 7.

2 Ad hanc regulam faciunt, quæ ſupra dicta ſunt in explicatione reg. 18. *Non firmatur tractu temporis*, &c. Unde pro uberiori intelligentia ſatis ſit hic notare, preſentem regulam procedere in iis actibus, qui fiunt omnino contra Jus, ſeu quibus jus nullatenus aſſiſtit. Ratio hujus adnotationis eſt: quia duo actuum genera dantur facta contra legem: aliqui enim ſunt, qui prohibentur per legem; at ſi fiant, lex illis aſſiſtit quoad actus validitatem, ac propterea quamvis ſint actus illiciti, ſunt tamen validi. Hujus generis eſt Matrimonium, quoad contrahitur ab habente votum ſimplex caſtitatis, quod Matrimonium eſt illicitum, plerumque tamen non eſt irritum. Alii actus

ſunt,

ſunt, qui ita prohibentur per legem, ut lex nullatenus illis aſſiſtat quoad validitatem, qualis eſt contractus Matrimonii factus cum impedimento dirimente, & univerſaliter omnes illi actus, qui fiunt contra legem prohibentem ſimul & irritantem. Contra hoc ſecundum actuum genus, qui fiunt omnino contra jus, ſeu quibus jus nullatenus aſſiſtit, procedit regula præſens, ut haberi debeant pro infectis, quod intellige juxta notationes, quas poſuimus in explicatione regul. 52. *Non præſtat impedimentum, &c.*

R E G. LXV.

In pari delicto, vel cauſſa, potior eſt conditio poſſidentis.

1 HÆc regula in quantum agit de cauſſa, ſumitur ex l. *Cum par delictum* 196. ff. *de reg. Jur.* & in quantum agit de cauſſa, deſumitur ex l. *In pari cauſſa* 170. ff. eodem. Exemplum primæ partis eſſe poteſt in caſu, in quo ſi unus alteri pecuniam dederit pro homicidio, vel aliquo illicito actu, poſt cujus executionem ſi ille, qui pecuniam ſolvit, velit illam repetere ſub hoc prætextu, quod ſoluta fuerit ad turpem cauſſam, non audietur, quia & ipſe, qui pecuniam ſolvit, & alius, qui pecuniam accepit, peccaverunt: in pari autem delicto potior eſt conditio poſſidentis, de quo caſu loquitur textus in l. 2. C. *De conditione ob turpem cauſſam*, quamvis ibid. Gloſſ. v. *deſideras* doceat pecuniam illam eſſe reſtituendam fiſco ex l. *Lucius* 99. ff. *de Jure fiſci*.

2 Exemplum alterius partis ſumi poteſt ex eo

Si a Sede 31. *De præbend. in* 6. Summus Pontifex contulit beneficium Titio; Epiſcopus etiam id ignorans contulit eadem die idem beneficium Cajo. Quis illorum duorum præferetur? Reſp. in eo textu, quod ſi non appareat quænam collatio primo facta fuerit, ille præferri debeat, qui prius poſsidet. Si autem neuter poſsideat: Cui ſedes ipſa contulit (propter conferentis ampliorem prærogativam) erit alteri præferendus.

3 Ratio hujus regulæ deſumitur ex reg. 11. ſuperius explicata, ubi dicitur in Judiciis, ſi jura partium ſint obſcura, Reo favendum eſſe potius quam Actori: qui enim actualiter poſsidet rem, quam alius ſibi vendicare contendit, conſideratur tanquam Reus. Vide, quæ ad eamdem regulam dicta ſunt.

REG. LXVI.

Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet quamvis conditio impleatur: haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.

1 HÆc regul. ſumpta eſt ex *l. In jure civili* 121. *ff. de reg. Jur.* Caſus figuratur a Gloſ. hic ex c. Si quælibet 20. *ff. Prophetavit* 22. q. 2. in eo quod in ſacris litteris narratur de Abraham, qui filium ſuum immolaturus duxit ad montem, ubi tamen fuit impeditus per Angelum, quo non obſtante, fuit perinde quoad meritum, ac ſi Filium occidiſſet. Item caſus figuratur ex c. *Quoniam frequenter* 5. *ff. Porro. Ut lite. non conteſtata*. Nemo non citatus in cauſſa civili eſt condemnandus: Sed ſupponamus, quod Judex mandatum dederit de citando Titio,

tio, eaque de cauſſa executor miſſus fuerit; Titius tamen vel per ſe, vel per ſuos familiares impedivit, ne ea citatio ad ipſum perveniret. In tali caſu Titius habetur pro citato: quia neque per Judicem, neque per Actorem ſtetit, quominus citatio perveniret ad Titium, ſed potius ſtetit per ipſum Titium, qui impedivit. Cum autem non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet.

2 Ad intelligentiam hujus regulæ notandum eſt, hic induci fictionem Juris, per quam cenſeri debeat impletum eſſe id, quod realiter impletum non fuit, quando non ſtetit per eum, ad quem pertinebat illam conditionem implere, ſed ſtetit per alium, cujus principaliter intererat conditionem non impleri; ut puta ſi Teſtator relinquat tibi fundum, ſi ſolvas heredi 100. ad te pertinet implere conditionem, heredis autem intereſt eamdem non adimpleri, quia ſi non adimpleatur, non tradet tibi fundum. Si igitur per te non ſtet, ſed paratus ſis ſolvere 100. eademque obtuleris, ſed heres eam ſolutionem impediverit, & acceptare noluerit; conditio illa cenſetur pro impleta, juxta textum expreſſum in l. *Si per diem* 5. §. *Item ſi qua conditio* ff. *Quando dies legatorum, vel fideicommiſſorum cedat*. Hæc explicatio conſtat ex cit. l. *In Jure civili*, unde hæc regula canonica ſumpta eſt, ubi ſunt hæc expreſſa verba. *In jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt, conditionem non impleri, fiat, quia minus impleatur, perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet.*

3 Ratio hujus regulæ ita explicatæ eſſe poteſt; quia

quia nemo debet commodum ex ſua malitia reportare: reportaret autem commodum ex ſua malitia, ſi ille, cujus intereſt conditionem non adimpleri, impediendo conditionem liberaret ſe ab ea obligatione, quam habet in hypotheſi quod conditio adimpleatur, ac propterea in utroque jure ſtatutum eſt, ut in eo caſu per fictionem juris ea conditio haberi debeat pro impleta.

4 Quod autem dictum eſt, præſentem regulam procedere, ubi, quod conditio non impleatur, ſtat per eum, cujus intereſt eam non impleri, explicat Gloſſ. in cit. l. in jure civili, intelligi debere de eo, cujus intereſt principaliter, ut puta quia, adimpleta conditione, tenetur aliquid ſolvere, aut aliquo jure ſe privare.

5 Quæri poteſt, quid dicendum ſit, quando conditionem non adimpleri non ſtat per eum, cujus intereſt non adimpleri, ſed per alium tertium, aut etiam per aliquod impedimentum neceſſarium; utrum in eo caſu conditio haberi debeat pro impleta?

6 Reſp. Gloſſ. ad præſentem regulam, in eo caſu conditionem non haberi pro impleta, ſed ad ſummum, quod ea conditio impleta non fuerit, non imputari ei, cujus intereſt, pro quo facit alia juris reg. 41. *Imputari non debet eis, &c.* de qua ſuo loco dictum eſt: aliud autem eſt non imputari ad culpam, quod non fuerit poſita aliqua conditio; aliud cenſeri eamdem haberi pro impleta. Ratio hujus doctrinæ eſt: quia in eo caſu ceſſat ratio præſentis Regulæ, per quam inducitur prædicta fictio juris in pœnam impedientis conditionem propter ſuum intereſſe, ut ſcilicet in eo puniatur, in

quo

quo peccare præſumpſit: pœna enim locum non habet, ubi nihil datur imputabile ad culpam. Si igitur in eo caſu non adimpletio conditionis non imputatur ad culpam ei, cujus intereſt, neque cenſeri debet pro impleta: atqui ſi ſtat per tertium, aut per aliquod impedimentum neceſſarium conditionem non adimpleri, non ſtat per eum, cujus principaliter intereſt, ut ſupponimus: ergo, &c.

7 Quæri etiam poteſt, quid dicendum ſit, quando conditionem non impleri neque ſtat per eum, cujus intereſt, neque per tertium, ſed præciſe per defectum illius perſonæ, in qua erat implenda conditio; utrum in eo caſu conditio haberi debeat pro impleta? Exemplum ſit ex l. *Illis libertis* 84. ff. *De Conditionib. & demonſtrationib.* Titius teſtator reliquit filium heredem, ſimulque ſuis libertis legavit 100. denarios ſingulis menſibus ſolvendos alimentariorum nomine, ſi cum filio ſuo morati fuerint. Liberti ſteterunt in obſequio filii, donec ipſe ad militiam profectus, in Caſtris mortuus eſt. Numquid in eo caſu alimenta illa ſolvi debuerunt prædictis libertis etiam poſt mortem filii ab herede ejuſdem?

8 Reſp. in textu illius legis cum diſtinctione: vel teſtator illam conditionem appoſuit gratia, & favore libertorum; vel appoſuit ſolum favore, & gratia filii. Si appoſuit gratia libertorum, adhuc debetur legatum, quia per libertos non ſtat illam conditionem non impleri, & ex alia parte adhuc perſeverat motivum, propter quod legatum relictum fuerit. Si appoſuit ſolum gratia filii, non debetur; quia per mortem filii ceſſat motivum legati facti. Ita deciditur

tur in illo textu. Utrum autem legatum factum ſit uno, vel altero modo, cognoſcitur ex tenore verborum, aut ex conjecturis. Quod ſi penitus dubium ſit, tunc eſſet potius interpretandum, quod legatum relictum ſit favore legatarii, adeoque quod debeatur, docet Gloſs. fin. ad præſentem regulam.

REG. LXVII.

Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

1 DEſumitur ex c. *Sicut non ſuo* 10. diſt. 46. c. *Ad falſariorum* 7. *De crimine falſi*, aliiſque Juribus. Caſus figuratur ex cit. c. *Sicut non ſuo*. Nemo poteſt uſuras exercere nomine ſuo; alias præter peccatum, quod committit, incurrit varias pœnas a jure ſtatutas de quibus ſermo eſt ſub tit. *de Uſuris*. Sed ſi Titius exerceat nomine alieno, hoc eſt ad utilitatem alterius, numquid excuſabitur? Reſp. negative propter rationem præſentis regulæ, quia quod non licet Titio nomine ſuo facere, nec alieno nomine licet.

2 Hæc regula procedit in iis, quæ de re illicita ſunt, ut explicat Gloſ. Sicut enim mediante crimine non licet propriis commodis, & utilitatibus famulari; ita nec commodis, & utilitatibus alienis, ut ſumitur ex cit. cap. *Sicut non ſuo*. Secus accidit, ubi in re, quæ nomine tuo a te fieri prohibetur, ceſſat omnis malitia, omniſque ratio prohibitionis, ſi eadem a te fiat alieno nomine, ut aliquando contingit, quando illa res, quæ tibi non licet, alteri licet. In iis enim frequenter accidit, ut quod tibi non licet nomine tuo liceat nomine alieno. Sic nomine tuo Matrimonium contrahere

non

non potes cum conſanguinea intra gradum prohibitum, cum qua tamen Matrimonium contrahere alieno nomine, ſeu tamquam Procurator alterius non prohiberis; quia ſcilicet agis nomine illius, in quo nullum eſt impedimentum nullaque prohibitio. Item Laicus proprio nomine tractare non poteſt cauſſam ſpiritualem, ſed alieno nomine, & tanquam Procurator Clericorum poteſt ex c. 1. *De Procuratoribus* in 6. Demum Judex delegatus cauſſam cognoſcit nomine Delegantis, quam ceteroquin nomine ſuo cognoſcere non poſſet ex defectu juriſdictionis, ut ſumitur ex toto tit. *De off. Deleg.* & ſic de aliis pluribus. Ubi tamen adverte, non ſatis eſſe, ut aliqua res ſit alteri ceteroquin licita ad effectum, ut poſsis illam agere nomine ipſius; requiritur enim inſuper, ut eadem res ſit tibi demandabilis, ſeu ut per nullam legem prohibeatur demandari tibi eamdem rem, ut notat Gloſſ. ad præſentem regulam.

REG. LXVIII.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

1 DEſumitur ex l. 1. §. *Dejeciſſe* ff. *De vi, & de vi armata*, aliiſque juribus. Caſus a Gloſſ. figuratur ex cap. ult. De Procuratoribus in 6. in matrimonio, quod ubi contrahere poteſt per ſe ipſum, Titius contrahere quoque poteſt per Procuratorem conſtitutum cum ſpeciali mandato; in juramento quod poteſt aliquando etiam per Procuratorem emitti, ut eſt exemplum in c. *Tibi Domino* 33. diſt. 63. ubi po-

ponitur juramentum Otthonis factum in favorem Joannis Papæ, & ſic in aliis plurimis.

2 Ratio, & fundamentum hujus regulæ deſumitur ex reg. 72. paullo infra explicanda, ubi dicitur: *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum*. Exinde enim deſumitur; in jure æquiparari, facere aliquid per alium, & facere per ſe ipſum. Ex duobus autem in jure æquiparatis, ubi unum fieri licet, etiam alterum regulariter fieri poteſt.

5 Dixi *regulariter*, ut exciperem caſus ſub hac regula non comprehenſos, numeratos a Gloſſa in præſenti regula, qui plurimi ſunt, & verſantur omnes circa actus, qui, vel ex natura ſua, vel ex ſtatuto legis non ſunt alteri demandabiles, in quibus non procedit regula præſens. Ejuſmodi cenſentur eſſe actus illi, in quibus electa eſt fides, & induſtria perſonæ, ut conſtat ex cap. fin. 3. *Is autem de Off. Deleg.* quorum exemplum habes in cap. *Is cui* 12. eod. in 6. ubi dicitur quod quis commiſſionem habeat a Summo Pontifice, ut idoneæ alicui perſonæ (nulla determinate expreſſa) providere debeat de certa Eccleſia, vel beneficio; non poteſt tunc proviſionem ſibi commiſſam demandare alteri faciendam, cujus ratio ibi affertur; quia tunc videtur electa ejus induſtria circa eligendam perſonam idoneam. Huc etiam referri videtur id, quod dicitur in c. *de ſent. & re judic. in 6.* quod videlicet ſententia definitiva debeat immediate ab ipſo Judice proferri, ejuſque recitatio non poſſit alteri a Judice demandari, exceptis tamen Epiſcopis, aliiſque illuſtribus perſonis propter dignitatis prærogativam ampliori honore fulgentibus.

4 Item

4 Item ejus generis excepti ſunt actus illi, qui expediri debent ab eo, cujus utilitas ſpecialiter attenditur reſultans ex eo, quod ab eodem per ſe immediate actus illi exerceantur. Sic pœnitentia Sacramentalis ſuſcipi debet immediate ab ipſo pœnitente, ut qui per ſe peccavit, per ſe erubeſcat, & per hoc fiat dignus miſericordia juxta textum in c. *Quem pœnitet* 87. *De pœnit. diſt.* 1.

5 Præterea ejus excepti generis ſunt illi actus, qui ſi per alium fiunt, indecentiam aliquam, & moralem turpitudinem contrahunt. Sic quamvis Abbas cauſſa regularis diſciplinæ poſſit in perſona propria Monachum verberando corrigere; non tamen poteſt alicui Laico id faciendum committere ſub pœna excommunicationis, ut expreſſe habetur in c. *Univerſitatis* 24. *de ſent. excomm.* quia ſcilicet inhoneſtum eſt, Laicum manus injicere in Clericum, vel Monachum, etiamſi id faciat ad juſſionem Abbatis, in cujus ſervitio commoratur; quemadmodum ex proportionali ratione aliqui actus ſunt, quos quis per ſe ipſum exercere non poteſt, ſed debet alteri committere, ut eſt exemplum in c. fin. *Ne Clerici, vel Monachi, &c.* in 6. ubi dicitur quod Clericis Prælatis habentibus temporalem juriſdictionem non liceat per ſe cauſſas ſanguinis agitare, ſed eas debeant, & poſſint aliis delegare.

6 Demum ejuſdem generis excepti ſunt actus illi, pro quorum forma eſſentiali requiritur a lege, ut perſonaliter fiant, & non per Procuratorem, ſeu delegatum. Exemplum habes in adoptione, quæ non poteſt per alium fieri, ex l. *Poſt mortem* 23. §. *Neque* ff. *De adoptionibus*; & ſic de aliis pluribus, quæ ſuſe numerata habes apud Gloſſam in præſenti regula.

REG.

R E G. LXIX.

In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.

1 DEſumitur ex cap. *In malis promiſſis* 5. 22. qu. 4. aliiſque textibus per totam illam quæſtionem. Exempla ſumi poſſunt, quæ ſuperius expoſuimus in explicatione regulæ 58. *Non eſt obligatorium &c.* quæ huic præſenti regulæ ſimilis eſt: unde etiam, quæ ibidem dicta ſunt pro ratione, & intelligentia illius regulæ, faciunt etiam ad rationem, & intelligentiam regulæ præſentis.

2 Illud tamen hic omittendum non eſt, quod ſapienter advertit Gloſſ. videlicet in præſenti regula dici *In male promiſſis*. Diſtinguendum enim eſt inter mala promiſſa, & inter male promiſſa. Mala promiſſa dicuntur, quando malitia, & turpitudo eſt in ipſo objecto, quod promittitur, ut puta ſi quis alteri promitteret occidere hominem, aut furari, aut mentiri, &c. quia ejuſmodi promiſſiones eſſent de re ſecundum ſe mala, & turpi. Male promiſſa vocantur, quando promiſſiones non ſunt de re mala, ſed tantummodo aliquem defectum includunt ex parte modi, quo fiunt, ut v. g. ſi aliqua res de ſe ceteroquin licita promittatur abſque aliqua legali ſollemnitate ſtatuta per legem, aut impellente metu, vel dolo, aut alia ſimili incongrua ratione.

3 Hoc ſuppoſito regula præſens loquitur tantummodo de malis promiſſis, ſeu quæ mala ſint ratione objecti ſui, in quibus promittendis ſicut peccatum committitur, ita etiam committitur in exequendis. Quod procedit etiamſi fuerit promiſſa jurata, ut ſupra dictum eſt in cit. reg. *Non eſt obligatorium* 58. hujus tituli.

4 At

4 At in male promiſſis id non univerſaliter obtinet; quinimmo ſi fuerint promiſſa jurata, ſunt univerſaliter obſervanda, quia juramentum ſemper ſervari debet, quando ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, ut diximus in cit. reg. *Non eſt obligatorium*, & notat etiam Gloſſ. ad præſentem regulam, ſumiturque ex c. *Si vero* 8. & c. *Cum contingat* 28. *de Jurejurando*. Quod ſi in iis male promiſſis nullum juramentum intervenerit, tunc aliunde, & ex particularibus materiis, ſeu circumſtantiis deſumendum eſt, utrum inducta fuerit obligatio necne? Aliqua enim ejuſmodi promiſſa ſunt, quæ de jure valida ſunt, at promiſſori ſuccurritur, ut poſſit per exceptionem petere, & obtinere, ut facta promiſſio invalidetur, ſicut contingit in promiſſione extorta per dolum, aut metum, ex §. 1. Inſtit. *de exceptionibus*. Aliqua ſunt, quæ de jure civili invalida ſunt, eo quod per legem ſint irrita; at de jure naturali ſunt obligatoria, & ſic de reliquis, quæ fuſe tractantur a Theologis Moralibus ſub titulo *de Promiſſione*.

R E G. LXX.

In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

1 PRima pars hujus regulæ deſumitur ex l. *Plerumque* 10. §. ult. ff. *de jure dotium* Inſt. *De actionibus* §. *Huic autem*, aliiſque juribus. Secunda pars regulæ deſumitur ex l. *In eo quod plus ſit* 110. ff. de reg. juris in iis verbis: *Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum*, & ex c. *Inter cæteras* 4. *de reſcriptis*. Caſus figurari poteſt ex cit. §. *Huic autem*. Tit ius facta

facta ſtipulatione promiſit ſe tibi daturum, vel equum, vel 10. aureos. Ut huic obligationi ſatisfiat, numquid ille tenetur dare tibi copulative utrumque, videlicet, & equum, & 10. aureos? Reſp. negat. ſed ſive det dumtaxat equum, ſive det ſolum 10. aureos obligationi ſatisfacit, quia in alternativis ſufficit alterum adimpleri. Sed numquid ſaltem poteris ipſum cogere, ut det tibi potius equum, quam 10. aureos, aut e converſo? Reſp. etiam negative ex præſenti regula, quia erit in arbitrio debitoris ſolvere, quod maluerit ex duobus alternative debitis: in alternativis enim debitoris eſt electio.

2 Ad intelligentiam regulæ notandum eſt, nomine alternativorum intelligi ea, quæ ponuntur modo disjunctivo, qualia eſſe ſolent, quæ ponuntur cum particula *vel*, *ſive*, *aut*, *&c.* & aliquando etiam, quæ cum nulla tali particula exprimuntur, ſed aliunde & ex circumſtantiis colligitur, ea ſumenda eſſe disjunctive, ut dicitur in leg. *Sæpe* 53. ff. *de Verborum ſignificatione. Sæpe ita comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis*, cujus exemplum habes in cit. cap. *Inter ceteras* 4. *de reſcript.* ubi habetur quod ſi Summus Pontifex præcipiat in reſcripto ſuo, ut ſi conſtet Titium eſſe filium illegitimum Clerici, & quod illud idem beneficium aſſecutus fuerit, quod ejus Pater proxime habuit, vel quod illicite idem beneficium occupaverit, beneficio ſpoliari debeat, quodcumque illorum conſtiterit, quamvis aliqua illorum cum particula copulativa exprimantur. Item aliud exemplum habes in cap. 2. eod. tit. juncta Gloſſ. ibid. Si Papa mandet Commiſſario, ut

ſi ipſi conſtiterit Beneficiarium convictum eſſe de perjurio , & beneficio renuntiaſſe (utrumque enim horum propoſitum fuerat Pontifici) reum inde removeat, & alteri beneficium conferat; in eo caſu alterutrius illius partis verificatio ſatis eſt ad removendum eum Beneficiarium a beneficio, quamvis utraque expreſſa ſit in mandato cum particula copulativa, & quia ut ibi docet Gloſſ. v. *& perpetuo . Si alterum per ſe ſufficit ad remotionem alicujus , ſufficit ſi alterum probetur , licet copulative ea duo mandentur ;* quia videlicet ille modus copulativus æquivalet modo disjunctivo.

3 His ſuppoſitis reg. præſens procedit, quando aliquid expreſſum eſt modo disjunctivo , in quo caſu ſufficit alterutram disjunctionis partem adimpleri, & eſt in poteſtate debitoris eligere alterutram . Idque locum habet etiam in ultimis voluntatibus , ut puta ſi quis heres inſtituatur ſub hypotheſi, quod hanc, vel illam disjunctive conditionem adimpleat, ſufficit, ut adimpleat alterutram. Secus eſſet , ſi utraque illa conditio copulative eſſet expreſſa ; quod totum clare ſignificatur in §. penult. Inſtitut. *De heredibus inſtituendis* , ubi ſic dicitur : *Si plures conditiones in inſtitutionibus adſcriptæ ſunt : ſi conjunctim , ut puta ſi illud , & illud factum fuerit, omnibus parendum eſt . Si ſeparatim , veluti ſi illud , & illud factum erit , cuilibet conditioni obtemperare ſatis eſt* . Item locum habet eadem doctrina in mandatis Principis , ut eſt exemplum in ſupracit. c. *Inter ceteras* 4. de reſcript. In ſententiis , aliiſque ſimilibus.

4 Quia vero paullo ante dictum eſt , etiam

particulam copulativam *&*, aliquando æquivalere particulæ disjunctivæ, itaut v. g. ſi in reſcripto Principis plura eo modo committantur, ſufficiat alterutrum adimpleri; quæri poteſt, undenam id cognoſci poſſit, videlicet eam particulam copulativam æquivalere disjunctivæ?

5 Reſp. de hac re agere Gloſſ. in cit. cap. 2. *De reſcript.* v. *& perpetuo*, ubi reſolvit ſpectari debere, utrum alterutrum illorum, quæ committuntur a Principe in ordine ad aliquem effectum, ſufficiat ad eumdem effectum, vel utrum utrumlibet ſit per ſe inſufficiens, ſed ſolum utrumque copulative ſatis ſit? In primo caſu, etiamſi utrumque cum particula copulativa exprimatur, ſufficit alterutrum verificari: ſecus in ſecundo caſu, ut puta in exemplo ſupra allato, ſi Summus Pontifex committat Epiſcopo, ut inquirat, utrum Titius illegitimus immediate ſucceſſerit ſuo Patri in beneficio, & utrum illegitime idem beneficium occupaverit, & ſi id conſtet, eum a beneficio removeat. In eo caſu quamvis copulative exprimatur immediata ſucceſſio patris in beneficio, & ingreſſus illegitimus ad beneficium; non propterea requiritur utriuſque probatio, ſed ſufficit probari alterutrum, quia alterutrum ſatis eſt ad removendum Titium a beneficio juxta Sacros Canones, a quibus & prohibetur illa immediata ſucceſſio, & ingreſſus illegitimus, ſeu abſque inſtitutione Canonica ad beneficium. Idem dic de reliquis ſimilibus. Ratio iſtorum eſt: quia in eo caſu præſumi debet talem eſſe Principis mentem, ut ſervetur ſtatutum per Sacros Canones: quotieſcumque autem, vel ex veriſimili mente diſponentis, vel ex ipſa qua-

litate

litate rei, vel ex aliqua lege, vel ex eo quia ceteroquin aliqua iniquitas inſurgeret, ſuadetur, copulativam accipi debere pro disjunctiva, ita de facto accipienda eſt.

6 Ex proportionali ratione contingit etiam aliquando, ut disjunctiva accipi debeat pro copulativa; ubi ſcilicet aliqua ex his circumſtantiis locum habeat. Exemplum habes in l. *Generaliter 6.* c. *De inſtitutionib. & Subſtitutionib.* & in l. *Cum quidam* 4. C. *De Verborum ſignificatione*, in quarum prima decernitur, ut ſi quis teſtamentum fecerit, & declaraverit heredem, adjecta conditione, ut ſi nuptias non contrahet, aut filios non habebit, aut teſtamentum non condet, reſtitui debeat hereditas, aut alter ſubſtitui; in eo caſu ad effectum ſubſtitutionis non ſatis ſit aliquam illarum conditionum non adimpleri, ſed opus eſſe adimpleri nullam. In altera autem lege ſtatuitur, ut ſi quis teſtamentum ſecerit dicendo, *Ille, aut ille mihi heres eſto*, vel *illi, aut illi legatum relinquo*, vel *illum, aut illum tutorem eſſe volo*; in eo caſu illa particula disjunctiva reſolvi debeat in copulativam, adeoque uterque eſſe debeat heres, uterque legatarius, uterque tutor. Ratio quæ affertur in textu utriuſque legis eſt: quia ejuſmodi diſpenſationes cenſentur eſſe factæ in favorem heredis, aut legatarii, aut curatoris, aut pupilli: diſpoſitiones autem favorabiles capiunt amplam interpretationem, qualis eſt, ſi diſpoſitiones illæ ſumantur factæ pro omnibus ſimul, non autem ſolum pro alterutro.

7 Ab hac tamen doctrina excipit Gloſ. ad præſentem regulam caſum, in quo plures perſonæ

 cum

cum particula disjunctiva exprimantur, in quibus ſit diſpar ratio affectionis, quia tunc præſumi poteſt mentem teſtatoris eſſe, ut qui primo loco nominatus eſt, & in quo relucet major ratio affectionis, alteri præferatur: ut puta ſi teſtator mandet dari aliquid filiis, aut his deficientibus, conſanguineis, aut affinibus in tali caſu inſpicitur ordo expreſſionis, unde filii præferuntur conſanguineis, aut affinibus, & conſanguinei præferuntur affinibus, ut probat textus in cap. *Cum Pater* 77. §. penult. ff. *de Legatis* 2.

8 Demum ex eadem ratione vitandæ iniquitatis, aut injuſtitiæ decernitur in l. 2. §. *Scævola* ff. *de eo quod certo loco &c.* ut ſi debitor obligationem contraxerit ſolvendi debitum disjunctive vel in una, vel in altera civitate; tunc electio civitatis, ubi fieri debeat ſolutio, non ſit in poteſtate debitoris, ſed creditoris, cujus ratio ibi aſſignatur: quia alias in neutra civitate debitor cogi poſſit ad ſolvendum: in qualibet enim illarum civitatum conventus ſtatim eligeret aliam civitatem, & ſic arriperet occaſionem fugiendi ſolutionem debiti.

9 Alia plura ad hanc rem pertinentia, & ad diverſos modos, quibus pro diverſitate circumſtantiarum ſumi debet particula disjunctiva, & particula copulativa, ſive in legatis, ſive in actionibus, ſive in pœnalibus, &c. videri poſſunt apud Barb. in Collect. ad præſentem regulam, & apud alios Auctores ab ipſo citatos.

10 Contra hanc regulam objici poteſt textus in l. *Lucio Titio* 23. ff. de Legatis 20. ubi dicitur: quod ſi Teſtator in favorem Titii legatum aliquod alternativum reliquerit; puta vel ſun-

fundum, vel ſolum uſumfructum ejuſdem fundi; in tali caſu debeat eſſe in poteſtate Titii eligere alterutrum ex illis duobus: ergo in eo caſu electio pertinet ad Creditorem.

11 Reſp. dari quoque textus expreſſos, in quibus pro puncto legatorum alternativorum deciditur oppoſitum, videlicet electionem pertinere ad debitorem, hoc eſt ad heredem, ad quem pertinet ſolvere legata. Ita habetur in l. *Si ita* 43. §. ult. ff. *de legatis*, ſecundo, aliiſque pluribus juribus. Neque tamen inde ſequitur, leges legibus eſſe contrarias: diſtinguendæ enim ſunt variæ circumſtantiæ, variique modi expreſſionum, quibus legatum relictum eſt, prout illas diſtinguit Gloſſ. in cit. l. *Lucio Titio*; vel enim verba teſtatoris legantis diriguntur ad legatarium, & quaſi cum eo loquuntur; & tunc electio pertinet ad eumdem legatarium; vel diriguntur verba ad heredem; & tunc heredi relinquitur electio; vel demum eſt res dubia, utrum verba referantur ad legatarium, vel ad heredem; & tunc pertinet electio ad Creditorem, hoc eſt ad legatarium, adeoque caſus iſte non comprehenditur ſub præſenti regula. Ratio eſt: quia in dubio legata interpretanda ſunt plenius, & benignius, ex l. *In Teſtamentis* 12. ff. *De reg. Jur.* Ita reſolvit Gloſſ. citata, quam ſequuntur DD. communiter. Præſens autem regula relinquit debitori electionem, quando aliunde non præponderat ex parte Creditoris aliqua ratio, per quam ipſi concedi debeat Electio.

REG. LXXI.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.

1 DEſumitur ex c. *Invitus* 599. §. *Cui damus* ff. *de reg. jur.* Caſus figurari poteſt ex c. *Placuit* 8. 16. q. 4. & ex c. *Illud* 8. *De Præſcriptionibus*. Titius longiſſimo tempore bona fide, & cum titulo poſſedit rem alienam cum omnibus requiſitis, quæ ſufficiunt ad præſcriptionem legitimam. In eo caſu non eſt dubium admitti Titium ad agendum vigore ejuſdem præſcriptionis, ut ſi poſſeſſione illius rei ſpoliatus fuerit, agere poſſit ad eam recuperandam. Sed quid ſi adhuc permanet in eadem poſſeſſione, & contra ipſum moveatur actio pro illa re, numquid poterit excipere præſcriptionem, opponendo videlicet, ſe illam acquiſiviſſe beneficio præſcriptionis? Reſp. affirmative: quia qui ad agendum admittitur, multo magis eſt ad exceptionem admittendus.

2 Quid intelligatur nomine actionis, quid nomine exceptionis, conſtat ex iis, quæ ſupradiximus ad reg. *Cum ſunt partium* XI. & ad regulam *Exceptionem* 63. unde etiam facile deducitur præſentis regulæ ratio: nam exceptio utpote pertinens ad reum, & habens rationem defenſionis eſt favorabilior, quam actio, ut ſumitur ex cit. reg. *Cum ſunt partium*, & ex l. *favorabiliores* 167. ff. *de reg. juris*. Ubi autem admittitur id, quod minus favorabile eſt, regulariter multo magis admittitur id, quod eſt favorabilius.

3 Hæc tamen doctrina intelligenda eſt, ubi cetero-

teroquin ex parte exceptionis non militet aliqua particularis, & propria ratio, quare non debeat admitti; quæ ratio non militat ex parte actionis: contingit enim aliquando talem ejuſmodi diverſitatem dari, unde admittitur actio, non autem exceptio. Exemplum habes ex iis, quæ ſupra diximus ad reg. *Dolo facit* 59. deſumptum ex cap. *Debitores 6. de jurejur.* Si quis alteri promiſerit cum juramento ſe ſoluturum uſuras, ſolvere tenetur, neque poteſt ſe exceptione tueri; quamvis poſtquam ſolverit, poſſit agere ad repetendum id, quod indebite ſolvit. In eo caſu igitur admittitur actio, ſed non admittitur exceptio, quia videlicet intervenit juramentum obligans ad ſolutionem, adeoque repellens exceptionem, quod juramentum nullatenus excludit actionem, ſeu repetitionem ſoluti. Videri poteſt Panorm. in cit. cap. *Debitores n.* 4.

4 Item prædicta doctrina intelligenda eſt, ubi actio, & exceptio tendunt ad eumdem finem, ut notat Decius in cit. l. *Invitus* 199. §. *Cui damus* ff. *de reg. jur. n.* 2. ſeu ubi utraque verſatur in eodem genere judicii. Secus enim contingit, ubi exceptio pertineret ad diverſum finem, ſeu ad diverſum judicium: ut puta in judicio poſſeſſorio, in quo Titius ſpoliatus a Cajo agat de recuperanda poſſeſſione alicujus rei, Cajus ſpoliator non poteſt excipere, ſe habere dominium in illa re: quia talis exceptio pertinet ad cauſſam proprietatis: prius autem expediri debet judicium poſſeſſorium, & ſpoliatus debet prius reſtitui ex cap. *In litteris* 5. *de reſtit. ſpoliator.* quamvis poſtea facta reſtitutione, poſsit Cajus agere in cauſſa dominii, ſeu proprietatis.

REG. LXXII.

Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.

1 DEſumitur ex l. *Quando juſſu* 140. ff. *de reg. jur.* ex l. 1. §. *Dejeciſſe* ff. *De vi, & de vi armata*, & ex c. *Mulieres* §. *Illi vero*, de ſent. excomm. unde etiam caſus figuratur. Titius injunxit famulo ſuo, ut Clericum verberaret, atque ita factum fuit mandato, & nomine ipſius Titii. Numquid Titius excommunicatus eſt ipſo facto, ſicut excommunicatus eſſet, ſi ſuis manibus Clericum verberaſſet. Reſp. affirm. quia qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.

2 Ad intelligentiam regulæ reſolvendum eſt id, quod ſupra diximus ad reg. *Ratum* 4. & ad reg. *Ratihabitionem* 10. hujus tituli circa fictiones Juris, quarum plures ſpecies ibidem enumeravimus. Quod enim dicitur in præſenti regula, facere per alium perinde eſſe ac facere per ſe ipſum, procedit ſecundum quamdam fictionem Juris, non autem ſecundum realitatem phyſicam, quia qui facit per alium non facit realiter, & phyſice per ſe ipſum.

3 Ratio autem fundans ejuſmodi interpretationem, ſeu fictionem Juris congruentiſſima eſt: quia ſcilicet, qui facit per alium, quamvis non ſit phyſica cauſſa operationis illius, eſt tamen cauſſa moralis, cui etiam imputatur operatio: lex autem attendit cauſſam, cui operatio eſt imputabilis.

4 Pro ulteriori intelligentia hujus regulæ vide quæ a nobis dicta ſunt in explicatione

reg.

reg. *Quod alicui* 67. & in explicatione reg. *Poteſt quis per alium* 68. hujus tituli.

5 Occaſione hujus regulæ quæri poſſet, utrum in maleſactis locum habeat regula præſens, tum quoad rationem culpæ, tum etiam quoad rationem pœnæ, itaut ſcilicet per hoc ipſum, quod per legem ſtatuta ſit aliqua certa pœna contra committentem aliquod crimen, cenſeri quoque debeat ſtatuta contra mandantem, aut conſulentem. Sed quia de hac re eſt non levis controverſia, quæ proprie non pertinet ad hunc locum, ſed ad tractatum de lege pęnali; ne longius immoremur videri poterit fuſe tractata apud Decianum in tractatu criminali lib. 9. cap. 32. Giball. de Sacra Juriſdictione in ferendis cenſuris, diſquiſitione 5. qu. 3. Sanch. lib. 3. de Matrim. diſp. 49. alioſque ab ipſo citatos.

R E G. LXXIII.

Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari.

1 DEſumitur ex l. *In ambiguis* 85. §. *Non eſt novum* ff. *de reg. juris*, aliiſque Juribus hic citatis a Gloſſa. Caſus poni poteſt ex cap. *Neque furioſus* 26. 32. qu. 7. Titius furioſus non poteſt contrahere Matrimonium cum furioſa. Sed ſupponamus quod idem Titius, cum eſſet ſanæ mentis, Matrimonium legitime contraxerit cum aliqua, & poſt aliquod tempus a contracto Matrimonio evaſerit furioſus; numquid Matrimonium tunc invalidabitur? Reſpond. negative: quia Matrimonium legitime contractum fuit, unde quamvis ſtatus interve-

niat, in quo non potuiſſet Matrimonium inchoari, non propterea invalidatur .. Idem dic, ſi poſt Matrimonium legitime contractum ſuperveniat affinitas, cum qua ceteroquin Matrimonium inchoari non potuiſſet, ex c. *Tuæ fraternitatis* 10. *De eo, qui cognovit conſanguineam*, &c. Aliud quoque exemplum poni poſſet ex c. *Conſultationibus* 19. *de Jurepatr.* in eo, qui inſtitutus fuerit in beneficio mediante præſentatione facta ab illo, qui jus patronatus poſsidebat, ſed poſtea idem juſpatronatus amiſit per ſententiam Judicis, in quo caſu non debet inſtitutus removeri propter hoc a Beneficio: & ſic de aliis pluribus.

2 Ad intelligentiam regulæ notanda eſt Gloſſa marginalis, quæ ponitur ad præſentem regulam, circa illlam particulam, *factum legitime*, quæ ibidem explicatur, ita ut comprehendat & factum, & modum, hoc eſt itaut non ſolum ipſum factum ſecundum ſe ſit legitimum, ſeu a lege permiſſum, ſed etiam modus, quo illud poſitum fuit. Si enim contingat aliquid fieri, quod ſecundum ſe, vel ſaltem quoad modum ſit a lege prohibitum, non raro contingit illud poſtea retractari, ſeu annullari, ut conſtat ex iis, quæ ſupradiximus ad reg. *Quæ contra jus fiunt* 64. & ad reg. *Non firmatur* 18. hujus tituli.

3 Hinc deducitur præſentis regulæ ratio: nam ſicut actibus factis omnino contra Jus non indulgetur ullus favor, itaut etiamſi caſus ſuperveniat, in quo potuiſſent inchoari, non propterea convalidentur jam facti, juxta cit. reg. *Non firmatur tractu temporis*, &c. ita a contrario ſenſu actibus factis juxta legem favor indulgeri debet, ut etiamſi caſus ſuperveniat, in

quo

quo inchoari non potuiſſent, non propterea invalidentur.

4 Notandum tamen hic eſt, regulam iſtam intelligendam eſſe, niſi caſus ſuperveniat, in quo reddatur impoſsibilis effectus ejus, quod factum eſt: ſi enim id accidat, ſæpe contingit factum invalidari. Exemplum habes in Jure Can. ex c. *Sicut* 22. & ex cap. penult. *De ſponſal.* Si contingat Titium contrahere legitime ſponſalia per verba de futuro cum aliqua muliere, & poſtea contrahere cum alia per verba de præſenti, per hunc ſecundum contractum invalidatur prior contractus ſponſaliorum, quia videlicet, poſito eo ſecundo actu, redditur impoſsibile Matrimonium cum illa muliere, quod erat conſequens ad ſponſalia. Exemplum etiam habes in Jure civili, ex §. *Item contra* Inſtit. de inutilib. ſtipulationib. Si legitime facta fuerit ſtipulatio de aliqua re, quæ poſt illum contractum evadat ſacra, aut religioſa, redditur inutilis ſtipulatio propter ſimilem rationem, & ſic de aliis pluribus, quarum aliqua indicantur hic a Gloſ. in fine.

R E G. LXXIV.

Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

1 DEſumitur ex c. *Sane 9. de Privilegiis*; l. *Quod vero* 14. ff. *de legibus*, aliiſque Juribus. Exemplum poni poteſt ex eod. c. *Sane*. Titius impetravit a Summo Pontifice privilegium, ſeu diſpenſationem, ut poſsit ſimul plura beneficia retinere ex motivo expreſſo, quia

Titius exercebat officium valde utile Reipubl. Accidit autem etiam Cajum illud idem officium exercere, aut aliud ſimile, quod ſit paris utilitatis Reipubl. Numquid ſub eo prætextu poterit Cajus, privata auctoritate illud idem privilegium Titio conceſſum, ſeu diſpenſationem ad ſe extendere, eoque uti? Reſp. negat. quia privilegium illud fuit gratioſe conceſſum Titio: quod autem alicui gratioſe conceſſum eſt, non debet trahi ab aliis in exemplum; ſeu non debet ab aliis privata auctoritate ſibi uſurpari.

2 Ratio hujus regulæ eſt manifeſta: quia conceſsio privilegii, ſeu diſpenſationis pendet a voluntate Principis, quæ cum reſpiciat rem odioſam, ſeu derogativam Juris communis, ſicut extendi non poteſt a caſu ad caſum, ita nec a perſona ad perſonam, ut pluribus declaravimus in explicatione regulæ: *Quæ a jure communi exorbitant* 28. & in explicatione reg. *Privilegium perſonale* 7. Vide, quæ ibidem explicata ſunt, quæ faciunt etiam ad præſentem regulam.

R E G. LXXV.

Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat.

1 DEſumitur ex c. *Sicut* 29. §. ult. & cap. *Pervenit* 3. *De jurejurando*, aliiſque Juribus, ex quibus exemplum poni poteſt in promiſsione reciproca, quam ſibi invicem fecerint Titius, & Cajus de aliqua re præſtanda: in quo caſu ſi contingat Titium infidelem eſſe in ſua promiſsione adimplenda, liberatur Cajus ab obli-

obligatione adimplendæ promiſſionis ſuæ, nec cogi poteſt ad ſervandum promiſſum.

2 Hęc regula extenditur ad promiſſiones, pacta, fœdera, quæ a duobus reciproce fiant obligatione hinc inde ſuſcepta aliquid adimplendi: tunc enim uno illorum culpabiliter violante fidem præſtitam, liberatur alter ab obligatione eidem promiſſa. Ratio hujus eſt: quia in ejuſmodi pactis, ſeu promiſſionibus reciprocis, vel explicite, vel implicite ineſt ea conditio, ſi alter, cum quo contrahitur, conditiones ſibi præſcriptas obſervet: actus autem, ut tradit Laym. in cit. cap. *Pervenit n.* 2. conditionalis effectum non habet, ſi conditio non purificetur.

3 Notandum tamen hic eſt, regulam iſtam procedere, ubi promiſſio facta eſt homini, & ubi reſolvi prædicto modo poteſt in conditionalem. Secus enim eſt, cum aliquid Deo abſolute promittitur, ſeu vovetur, quod nulla conditione rumpendum eſt ex c. *Unico* 32. q. 8. in fine; aut cum promiſſio, ſive contractus reſolvi non poteſt in conditionalem, eo quod vel de natura ſua, vel de inſtitutione ſive Divina, ſive humana ſit abſolutus, & perpetuus. Exemplum habes in Matrimonio, in quo Conjuges ſibi invicem promittunt fidem, ita tamen ut ſi contingat ab uno illorum frangi fidem, non propterea liberetur alter a fide ſervanda, ſed permanet illud totum vinculum, & tota obligatio, quæ erat antea.

4 Item notandum eſt, hanc regulam procedere in promiſſionibus, ſeu pactis reciprocis factis a duobus, itaut unius promiſſio facta ſit intuitu, ſeu quaſi in recompenſationem promiſſionis alterius. Ceterum ſi duo ſibi invicem ali-

quid

quid promiſerint, ita ut neutrius promiſſio facta fuerit intuitu, & quaſi in recompenſationem promiſſionis alterius, pro eo caſu quęſtio eſt inter Auctores, utrum poſſit unus ea de cauſsa non implere id, quod promiſit, quia alter non adimplet? In qua quæſtione negativam ſententiam tradit Navar. in Manuali c. 18. n. 7. Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 8. qu. 4. & alii. At in contrarium Mol. de juſtit. diſp. 272. circa finem, Leſs. de juſt. lib. 2. cap. 18. dubitatione 10. n. 75. Sanch. in præcepta Decalogi lib. 3. cap. 17. probabilius putant, etiam in eo caſu poſſe ab uno promiſſionem non adimpleri, ſi alter non impleat. Vide ibid. cit. Auctores.

R E G. L X X V I.

Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

1 DEſumitur ex c. *Si Epiſcopum* 3. 16. q. 6. cap. *Cum Venerabilis* 6. *de Except.* aliiſque Juribus. Caſus figuratur ex cap. *Si Epiſcopum*. Quidam Epiſcopus commiſit grave delictum, ut propterea fuerit juſte depoſitus, quin & in pœnam ablatæ ipſi fuerint per modum confiſcationis res, quę ceteroquin ad Eccleſiam pertinebant. Pro eo eventu decrevit Summus Pontifex, ut omnes illæ res Eccleſiæ reſtituantur: quia delictum perſonæ in damnum Eccleſię non eſt convertendum.

2 Ratio hujus regulæ deſumitur ex c. 2. *De Donationibus*, ubi dicitur Epiſcopus, & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarum rerum eſſe Procurator, non Dominus, ex quo ibid. Alex. III. infert

poſſe

poſſe illum meliorare conditionem Eccleſię, ſed non reddere deteriorem; & ſi contingat factas ab ipſo fuiſſe graves donationes de prędictis rebus, inconſulto Capitulo in detrimentum Eccleſiæ, revocari debere tamquam de jure invalidas. Si autem eſt Procurator, & non Dominus, ejuſdem delictum non nocet Eccleſiæ, eo proportionaliter modo, quo delictum Tutoris non redundat in detrimentum pupilli, ex l. *Neque in interdicto* 158. ff. *de reg. Juris*, & l. *Non eſt ignotum 6. C. De adminiſtratione Tutorum*, & l. *Meminerint 6. C. Unde vi*.

3 Quęri poteſt, utrum hęc regula ſit univerſaliter intelligenda de omni delicto, & de omni ſpecie detrimenti. Ratio dubitandi eſt: quia Gloſs. ad hanc regulam, aliique plures Canoniſtæ diſtinguunt inter delictum, quod conſiſtat in actione, & inter delictum, quod conſiſtat in omiſſione, docentque per delictum Prælati conſiſtens in actione non pręjudicari Eccleſię, præjudicari tamen per delictum conſiſtens in omiſſione, cujus exemplum afferunt ex tota rubr. *De præſcriptionibus*, ſi videlicet Prælatus patiatur rem Eccleſiæ ab alio poſſideri tanto tempore, quantum requiritur ad præſcribendum; in quo caſu Eccleſia privabitur dominio illius rei ex culpa Prælati, qui repetere omiſit. Item diſtinguunt aliqui inter detrimentum late ſumptum, quod conſiſtat in non acquirendo, & inter detrimentum ſtrictius acceptum, quod conſiſtat in amittendo, atque de hoc procedere docent regulam præſentem.

4 Cenſeo tamen cum Panorm. in cap. 1. *De reſtit. in integr. n. 9.* opus hic non eſſe diſtinctionibus iſtis: nam etiam ubi delictum Prę̨lati

con-

conſiſtit in omiſſione, non præjudicatur Eccleſiæ, & ſi contingat ex negligentia Prælati alienari rem Eccleſiæ per præſcriptionem, poterit Eccleſia agere contra Prælatum, ſeu contra ejus heredes ad emendationem damni, ut tradit etiam Gloſsa fin. in cap. *Placuit* 15. 16. q. 3. Idem dic, ſi Prælatus neglexit Eccleſiæ acquirere, ubi potuit: nam etiam tunc agi poterit contra ipſum ad intereſſe lucri ceſſantis, ut etiam docet Gloſs. in c. pen. 12. q. 4. v. *aut neglectum*. Videri etiam poteſt Panorm. in cap. 1. *De Dolo, & contumacia* a n. 12. ubi pluribus hanc rem proſequitur.

R E G. L X X V I I.

Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

1 SUmitur ex cap. *Filiis* 31. 16. q. 7. c. 1. *De ſolutionib.* aliiſque Juribus. Caſus figurari poteſt in herede Patroni, qui ſicut ſuccedit in honore Juriſpatronatus, etiam ſuccedit in onere defendendi Eccleſiam, aliiſque annexi Juripatronatus.

2 Hæc regula concordat cum reg. 55. ſupra explicata: *qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra*. Vide, quę ib. explicata ſunt.

R E G. L X X V I I I.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

1 DEſumitur ex l. *Quæ propter neceſſitatem* 122. ff. *de regulis Juris*. Exemplum ſumi poteſt ex c. *Cum in cunctis* 7. *De elect.* ubi dici-

dicitur, quod quamvis pro neceſſitate temporis fuerint aliquando olim aſſumpti ad Epiſcopatum aliqui, qui nondum ejus erant ætatis, quæ per Sacros Canones requiritur; id tamen a poſteris trahi non debeat in exemplum, quaſi per hoc ipſum inferatur licere, quod aliquando licuerit.

2 Senſus hujus regulæ clarus eſt. Quod enim dicitur *in argumentum trahi nequeunt*, ſignificat, ex eo quod aliquid aliquando propter neceſſitatem licuerit, inferri non poſſe, quod liceat etiam, ceſſante neceſſitate. Ratio hujus eſt: quia ejuſmodi argumenta procedere non poſſunt niſi a ſimilibus ad ſimilia, & ubi eadem prorſus ratio militat: ſimilia autem dici non poſſunt, nec eadem ratio militare dicenda eſt, ubi aliqua res olim aliquando licuit ex ratione neceſſitatis, quæ neceſſitas pro alio caſu ſupponitur jam ceſſaſſe. Huc etiam facit principium illud, quod expreſſe legitur in cap. *Cum ceſſante* 60. *De appellationibus*; videlicet *ceſſante cauſſa, ceſſat effectus*, de quo videri poteſt Tiraq. in tract. *Ceſſante cauſſa*, & Suar. tom. De leg. l. 6. cap. 20.

3 Notandum autem hic eſt, regulam iſtam procedere in iis, quæ aliquando propter neceſſitatem conceſſa ſunt, & concedi potuerunt, quę, qualia ſint, explicatum eſt a nobis in reg. *Quod non eſt licitum* 4. *De reg. Juris* in Decretalibus Gregorii: ea enim, quæ ſunt intrinſece mala, ſeu quæ ſunt prohibita, quia mala, non poſſunt ex quacumque neceſſitate reddi licita, ut ibid. explicatum eſt.

4 Demum pręſens hęc regula concordat cum regul. 28. *Quæ a jure communi exorbitant*, & cum

cum reg. 74. *Quod alicui* h. t. Vide, quæ ibid. explicata ſunt; quę faciunt etiam ad ulteriorem intelligentiam præſentis regulæ.

R E G. L X X I X.

Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.

1 DEſumitur ex l. *Nemo plus juris* 54. ff. *de reg. Jur.* & ex cap. *Nuper* 6. *De donationibus inter Virum, & Uxorem*, ex quo etiam caſus figuratur. Titio data fuit terra quædam in dominium, ſed ſolum in uſumfructum, quamdiu vixerit. Ipſe autem per modum donationis, propter nuptias conceſſit uxori ſuę partem ejuſdem terræ. Quæſitum eſt, utrum Titio defuncto poſſet ejus uxor terram eamdem retinere titulo donationis propter nuptias? Reſponſum eſt negative: quia, ut dicitur in textu, cum regulariter nullus plus juris transferre poſſit, quam eum conſtet habere; vir, cui terra prædicto modo conceditur, non poteſt uxori reliquere, quod ei non licuit, niſi quoad vixerit poſſidere: nec licet uxori ſuæ partem illius terræ in donationem propter nuptias ex viri conceſſione tenere, niſi donationi ille, ad quem ſpectat dominium illius terræ, voluerit conſentire. Vide etiam aliud exemplum apud Panorm. in c. *Cauſſam quæ* 4. *qui filii ſint* 2. *legitimum* 3.

2 Huic regulæ concordat principium illud vulgatum, *Nemo dat, quod non habet*, quod etiam habetur in cap. *Quomodo* 40. *De Conſecr.* diſt. 4. Et *qui nihil habet, nihil dare poteſt*, in cap. *Daibertum* 24. can. 1. q. 7. Inde fit, quod, qui dominium alicujus rei non habet, ſed ſolum uſum-

uſumfructum, non poſſit in alterum transferre dominium ejuſdem rei: qui habet rem ſubjectam alicui ſervituti, puta prædium ſubjectum ſervituti aquæ per ipſum ducendæ, non poſſit in alterum transferre idem prædium abſque illa ſervitute, ex leg. *Cum fundus* 12. ff. *Communia prædiorum &c.* & ſic de reliquis.

3 Notandum tamen hic eſt, intelligi iſta debere de translatione, quæ ab aliquo fiat actoritate privata, & abſque conſenſu ejus, cui jus competit dominii in re transferenda. Non enim eſt contra regulam, ſi aliquis rei alicujus dominium alteri det, quod ipſe non habet, quando illud dat, vel ex conſenſu ipſius Domini, vel tamquam Miniſter ejuſdem, vel ſaltem ex auctoritate legis, a qua conſtituitur tamquam Miniſter idoneus ad illam rem alteri dandam. Exemplum habes in Creditore, qui vendendo pignus, transfert in Emptorem ejuſdem pignoris dominium, quod ipſe non habuit, ut conſtat ex l. *Non eſt novum* 46. ff. *de acquirendo rerum dominio*, quia ſcil. id facit ex voluntate Domini, qui ad hoc ſe obligavit, ut poſſet pignus vendi, ſi debitum ipſe non ſolverit, ex §. *Contra autem*, Inſtit. *quibus alienare licet*. Idem Judex adjudicando rem alicui, dominium transfert, quod ipſe non habet, & Epiſcopus beneficium confert, in quo dominium, & poſſeſſionem non habet; quia eſt Miniſter conſtitutus a lege, vel a Principe ad eam collationem faciendam. Item quilibet homo Baptiſmum valide conferre poteſt, licet in ſe Baptiſmum non ſuſceperit, quia eſt Miniſter, quoad valorem, ſufficiens a Deo conſtitutus ad illud Sacramentum conferendum; & ſic de aliis ſimilibus.

REG.

REG. LXXX.

In toto partem non eſt dubium contineri.

1 DEſumitur ex l. *In toto* 113. ff. *de reg. Jur.* Caſus, & intelligentia præſentis regulæ deſumi facile poteſt ex reg. 35. ſupra explicata. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* Satis igitur ſit hic meminiſſe notationis, quam tradit Tuſch. pract. concl. tom. 8. littera T. concl. 336. agi in præſenti regula de toto, cujus partes ſunt indiviſæ, & non per ſe diſtinctæ, & per ſe ſtantes: unde prohibitus v. g. per ſententiam Judicis ab acquirendo toto, non propterea cenſetur prohibitus ab aliquibus mobilibus ejuſdem totius, quæ proprie non cenſentur pars ejuſdem. Videri poteſt idem Actor. in loco cit. & Barb. in tract. Axiom. Juris, axiomate 215.

REG. LXXXI.

In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

1 DEſumitur ex c. fin. de Off. Vicarii in 6. & ex c. 2. *De pœnitentiis, & remiſſionib. in 6.* unde etiam exempla ſumi poſſunt, puta ſi Titius conſtituatur ab Epiſcopo Vicarius cum generali adminiſtratione pro tota Diœceſi; ſub ea generali expreſſione adminiſtrationis non venit facultas conferendi Beneficia, aut faciendi, quæ requirunt, ſpeciale mandatum; quia eam facultatem Epiſcopus veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus. Item ex eo præciſe

quod

quod quis habeat ab Epiſcopo facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, non idcirco dicendus eſt habere facultatem, ut a peccati reſervatis abſolvatur per illum Confeſſarium, quem elegerit. Item generalis commiſsio facta Legato per Papam non extenditur ad cauſſas fidei, & ſic de aliis ſimilibus.

2 Ratio hujus regulę eſt manifeſta: quia conceſsio quælibet eouſque extendi debet, & intra eos limites coarctari, quos definiverit vel expreſſa, vel præſumpta voluntas concedentis; cum enim conceſsio ab ea voluntate pendeat, non debet contra ejus intentionem ampliari. Ergo ubi rationabiliter, ſeu veriſimiliter præſumi poteſt Principem, ſeu Prælatum noluiſſe aliquid ſpeciale concedere, quamvis generalem conceſsionem faciat, ſub cujus verbis ceteroquin illud ſpeciale videtur includi, non propterea illud ſpeciale reputari debet eſſe conceſſum.

3 Quod ſi quæras, quænam ſint ejuſmodi ſpecialia, de quibus veriſimiliter præſumi poteſt non fuiſſe comprehenſa ſub expreſſione generica reliquorum? Reſp. id deſumi debere ex conjecturis, quæ pro diverſis materiis diverſæ ſunt. Aliquando enim id colligitur ex multo majori gravitate, & arduitate, quæ intervenit in aliqua ſpeciali materia; ut patet in exemplo cauſſarum fidei ſupra allato reſpectu Legati. Aliquando ex eo, quod aliquod ſpeciale ſit contra jus commune, contra quod non ſunt reliqua, quæ veniunt ſub generali conceſſione. Aliquando ex eo, quod aliquod ſpeciale eſſet valde durum, aut conjunctum cum gravi incommodo, vel damno, ut ex l. *Obligatione generali 6. ff. de Pignoribus* habes exemplum in

eo, qui res ſuas generaliter obligaverit pignori, ſub qua tamen generali obligatione non reputatur incluſa ſuppellex, veſtis, miniſteria neceſſaria artis ſuæ, & ea, circa quæ habet ſpecialem affectionem, & ſic de reliquis ſimilibus. Videri poteſt Joan. Monachus in 6. Decretalium, ubi fuſe hanc regulam explicat, pluresque modos enumerat; quibus conceſſionis generalitas quoad aliqua ſpecialia limitatur.

R E G. L X X X I I.

Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

1 DEſumitur ex l. *Quemadmodum* 7. *C. de Agricolis, & cenſitis* lib. XI. in fine ejuſdem legis hæc habentur expreſſa verba: *malæ fidei namque poſſeſſorem eſſe nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdictum mercatur.* Exemplum ſumi poteſt ex cap. *Si quis deinceps* 12. & ſeqq. can. 16. q. 7. Si quis Clericus recipiat Eccleſiam, vel Beneficium aliquod de manu Laici, præſumitur mala fide recipere, unde nec umquam præſcribere poterit, ut conſtat ex iis, quæ diximus ad reg. 1. hujus tituli: quia videlicet eſt contra Jura, quod Eccleſia ſeu Beneficium a Laico conferatur. Item exemplum poni poteſt ex c. *Non ſatis* 8. aliiſque *De Simonia*, in eo, qui ſimoniace pretium aliquod accipiat pro re ſpirituali, & ſic de aliis ſimilibus.

2 Ratio, & fundamentum præſentis regulæ deſumitur ex reg. 13. ſupra explicaca. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Nam qui contra jura mercatur, & qui aliquid alienum poſſidet, vel

vel cognoſcit illud eſſe contra jura & eſſe aliquid alienum; vel id non advertit: Si cognoſcit, jam operatur contra conſcientiam, dum etiam præſente illa cognitione facit, quod cognoſcit eſſe prohibitum, adeoque habet realiter malam fidem: Si non cognoſcit, ſeu non advertit, adhuc in foro externo, vel præſumitur cognoſcere, vel ſaltem culpabiliter ignorare, quia tenebatur intelligere ea, quæ ſunt ſtatuta per leges, ut habetur in c. *Leges ſacratiſſimæ 9. C. De legibus*, ideoque etiam in eo caſu præſumitur malam fidem habere, quia vel cognoſcit ſe operari contra jura, vel ſaltem habet improbabilem ignorantiam Juris, quæ non excuſat, ut patet ex dictis ad cit. reg. *Ignorantia facti*. Vide, quę ibi explicata ſunt.

3 Quod ſi quæras, quid proprie hic intelligatur nomine bonæ, vel malæ fidei? Reſpondetur ex alibi dictis in explicatione reg. 2. hujus tituli: *Poſſeſſor malæ fidei &c.* nomine bonæ fidei intelligi bonam, & illæſam conſcientiam; nomine autem malæ fidei intelligi conſcientiam culpabilem, ſeu læſam.

4 Notandum tamen hic eſt, iſtam regulam procedere, ubi ceteroquin non detur in contrarium fortior aliqua conjectura, ex qua efficaciter inferatur interfuiſſe bonam fidem, ut colligitur ex iis, quæ ſupra diximus *de Præſumptionibus* ad regul. *Semel malus* 8. Ut puta ſi quis aliquid contra legem fecerit, vel acceperit, non ignorans legem ſecundum ſe, ſed ex aliqua ignorantia facti, judicans ad illum caſum non extendi legem; contingere poteſt intervenire in eo caſu bonam fidem, eamdemque etiam poſse præſumi, ut habes exemplum in

cap.

cap. *Apoſtolicæ* 9. *De donationibus*, juncta ibid. Gloſs. v. *præſcriptione*, & in c. *Cura paſtorali* XI. *De jure patron.* juncta Gloſs. v. *legitima*.

REG. LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

1 DEſumitur ex l. *Bona fides* 57. *de regulis Juris*, l. *Si quis dolo* 51. §. fin. ff. *de re judicata*, ubi hæc habentur: *& puto improbum eſſe eum, qui vult iterum conſequi, quod accepit*, & ex aliis Juribus. Exemplificari poteſt ex l. *in duobus* 3. §. *Ubi duo* ff. *de duobus reis*, & ex §. *hujuſmodi*. Inſtitut. eod. Titius, & Cajus tenebantur in ſolidum ad ſolvendum aliquod debitum Sempronio, ex eo quia ita ſtipulati ſunt, vel quia Titius ſe conſtituit fidejuſſorem pro Cajo. Stante hoc, Sempronius creditor petivit, & obtinuit a Titio totius debiti ſolutionem: numquid hoc non obſtante poterit idem creditor petere, & exigere ejuſdem debiti ſolutionem a Cajo? Reſponſum eſt negative: quia totum debitum exactum jam fuit ab ipſo; nequit autem bona fide iterum exigi id, quod ſemel, & integre actum eſt.

2 Ratio hujus regulæ, quæ indicatur in citatis Juribus, eſt manifeſta: facta enim tota, & integra debiti ſolutione extinguitur obligatio ex cit. §. *ex hujumodi*, & ex §. 1. Inſtitut. *quibus modis tollitur obligatio*: ergo iterum exigens ſemel ſolutum, exigit indebitum, & circa quod nulla intervenit obligatio: atqui bona fides non patitur, ut exigatur indebitum: ergo &c.

3 Pro-

3 Propter hujus regulæ rationem notant Doctores, quod exceptio ſolutionis opponi poteſt etiam contra executionem ſententiæ, quia natura non patitur, ut quod ſemel exactum eſt, iterum exigatur, ut pluribus citatis, notat Decius in l. *Bona fides* 57. ff. *de reg. Juris*.

4 Item ex eadem ratione notat Gloſ. ad præſentem regulam, eamdem procedere non ſolum circa debita, & obligationes civiles, ſed etiam circa pęnas: unde ſuppoſito, quod aliquis criminoſus punitus ſit aliqua pęna condigna, non debet iterum propter idem crimen puniri; ut etiam ſumitur ex c. *Etſi Clerici* 4. §. penult. *De Judiciis*, & l. *Omnes* 23. C. *de pęnis*. Quod tamen intellige reſpectu ejuſdem criminoſi, quia ſi plures ſunt rei, ſoluta pęna per unum, non propterea liberatur alter, ut habetur ex cap. *Cum devotiſſimam* 8. 12. qu. 2. & ex l. *Item Mela ſcribit* XI. §. *Sed ſi plures* ff. *ad legem Aquiliam*.

5 Notandum tamen hic eſt præſentem regulam procedere pro iis caſibus, in quibus unica exactione extinguitur penitus obligatio: ſecus enim accidit pro caſibus illis, in quibus obligatio habet tractum ſucceſſivum, ſeu reſpicit actus ſucceſſive præſtandos pro ſtatuta temporis opportunitate. Exemplum habes in procuratione, quam exigit Epiſcopus viſitans diœceſim, de qua ſermo eſt in cap. *Cum Venerabilis* 21. *De cenſibus*: ex eo enim quod Epiſcopus ſemel viſitans exegerit eam procurationem, non ſequitur, quod eodem, vel anno alio ſequenti viſitans non poſſit exigere procurationem: quia ſcilicet obligatio, quam habent ſubditi, eſt ad ſol-

vendam procurationem, quoties Epiſcopus viſitet. Idem dic de reliquis ſimilibus. Quod etiam locum habet in pœnis, ubi alicui ſtatuta ſit condigna pęna ſuſtinenda non tota ſimul, ſed ſucceſſive, & pro ſtatutis temporis intervallis, ſeu circumſtantiis.

R E G. LXXXIV.

Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

1 COlligitur ex cap. *Unico* circa finem. *De Clericis conjugatis in 6.* ex cap. *Deteſtanda. De conceſs. præb. in 6.* aliiſque juribus. Exemplum ſumitur ex eodem cap. *Deteſtanda*. Supponendum eſt, nullum beneficium Eccleſiaſticum tribui, ſeu promitti poſſe ab inferioribus Collatoribus, antequam vacet, de qua re extat decretum Conc. Lat. relatum in cap. 2. *De conceſs. pręb.* & decretum Trid. ſeſs. 24. *de refor.* cap. 19. Sed numquid ſaltem Collatoribus illis licebit alicui in genere promittere, ſe proviſuros de Beneficio Eccleſiaſtico, cum poterunt, vel cum facultas ſe obtulerit? Reſponſum eſt, eam promiſſionem reprobandam, & omnino irritam eſſe: quia videlicet per ejuſmodi promiſſiones, & ſub tali palliatione verborum non ſolum aperitur via ad promittenda damnabiliter beneficia vacatura, ſed mortis alienæ votum ingeritur, & Eccleſiis, ac Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis gravamina plura inferuntur: ad quæ mala avertenda ſicut proviſum fuit, prohibendo, ne Beneficia conferantur, antequam vacent, ita provideri quoque

que debuit, prohibendo prædictas promiſſiones, quibus ad eadem mala devenitur; quia cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

2 Ex his patet ſenſus præſentis regulæ, ut videlicet, quando aliquid principaliter, & ratione ſui prohibetur, non poſſit ad illud idem perveniri per ullum modum, quamvis modus ille non ſit poſitiva lege expreſſe prohibitus; ad quod etiam faciunt ea, quæ ſupradiximus in explicatione regulæ, *Cum quid prohibetur* 39.

3 Dixi *quando aliquid principaliter ex ratione ſui prohibetur.* Secus enim accidere frequenter ſolet, quando aliquid prohibetur ſecundum aliquam viam, ſeu modum quia tunc prohibitio non reſpicit ipſam rem, ſed modum rei; unde ſi non ſervetur modus ille prohibitus, non fit contra prohibitionem: ut puta prohibetur per Sacros Canones eligi ad Epiſcopalem Prælaturam hominem habentem impedimentum Canonicum diſpenſabile: hoc tamen non obſtante non prohibetur eumdem hominem nominari ad eamdem Prælaturam, mediante poſtulatione: quia videlicet prohibitio Sacrorum Canonum eſt, ne homo ejuſmodi nominetur ad Prælaturam mediante electione: quare ſi electio non interveniat, ſed ſola poſtulatio, non fit contra Sacros Canones. Item aliud exemplum habes in Jure patronatus, quod quamvis transferri non poſſit mediante conditione ratione ſui, ex cap. *de Jure* 16. de Jure patronatus, non tamen transferri prohibetur cum univerſitate rerum, quibus juſpatronatus affixum eſt; dummodo non exigatur pretium, aut aliquid pretio æſtimabile intuitu juriſpa-

tronatus adnexi, ex cap. *Ex litteris* 7. De Jurepatronatus.

R E G. LXXXV.

Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

1 SUmitur ex l. *Contractus* 23. ff. *de reg. Jur.* ex l. 1. §. *Si convenit*. ff. *Depoſiti*, aliiſque juribus. Exemplum ſumitur ex cap. Unico *De Commodato*. Si Titius gratia ſui aliquod commodatum accipiat, puta equum, vel aliam rem, eademque apud ipſum deterioretur, aut pereat, tenetur tum de culpa lata, & levi, tum etiam de leviſſima: item tenetur de caſu fortuito, ſi fuerit in mora in reſtituendo, aut ſi caſus ille culpa ſua acciderit; ſecus autem ſi caſus ille fortuitus per culpam ſuam non acciderit, nec fuerit Titius in mora. Sed ſupponamus interfuiſſe pactum, ut etiamſi res commodata pereat caſu fortuito abſque ulla culpa, & extra omnem moram Titii commodatarii, adhuc Titius teneatur ad reſtituendam rem, ſeu valorem rei; numquid in eo caſu tenebitur Titius ex caſu fortuito abſque omni ſua culpa, & mora, & contra ipſum dabitur actio? Reſp. eſt affirmativa: quia id poſtulat natura ejus contractus cum tali conventione celebrati: contractus enim ex conventione partium accipit legem.

2 Ad intelligentiam regulæ, notandum eſt, quod quamvis nomine legis in contractibus frequenter intelligatur pactum a contrahentibus appoſitum, ut ſupra diximus in explicatione

re-

regulæ *contra eum* 57. hic tamen, cum ponatur lex ut contradiſtincta a conventione, ſeu pacto, non eſt intelligenda pro pacto, ſed pro ſpecifica natura, ſeu forma contractus, itaut ſenſus ſit contractum ejus formæ eſſe, eamque actionem, vel exceptionem dare, quam dat qualitas pacti appoſiti. Ita ſumitur ex leg. *Juris gentium* 7. §. *Quinimmo* ff. *De pactis*.

3 Ratio hujus regulæ eſt, quæ indicatur in l. 1. ff. eod. in iis verbis: *quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* Huc etiam facit c. 1. *De pactis* ubi univerſaliter præcipitur, *ut pax ſervetur, pacta cuſtodiantur*.

4 Notandum tamen hic eſt, id intelligi debere de pactis, quæ neque ſint turpia, neque impoſſibilia, neque a Jure reprobata, ut patet ex iis, quæ diximus ad reg. *in malis promiſſis* 69. *& ad reg. Nemo poteſt* 6. hujus tituli. Vide, quæ ibid. explicata ſunt.

R E G. LXXXVI.

Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.

1 HÆC reg. ſumpta eſt ex l. *Quod plus ex culpa* 204. ff. de reg. Jur. Exemplificari poteſt ex c. *Si Clericus* 11. *de præb.* in 6. Titius Clericus obtinuit reſcriptum a Sede Apoſtolica, ut ſibi præbenda proxime vacatura in certa Eccleſia provideretur, & poſtea in ejuſdem Eccleſiæ Canonicum reciperetur. Sed cum poſtmodum quædam præbenda vacaſſet, illam petere negligenter omiſit, unde alteri collata

eſt. Numquid poterit prætextu illius reſcripti aliam præbendam petere, & obtinere poſtmodum in ipſa Eccleſia vacaturam? Reſp. eſt negativa: quia gratia ei facta per ipſius negligentiam eſt extincta, nec alteri imputari debet, quod præbendam non obtinuerit, ſed tantum ſibi, quia negligenter petere omiſit.

2 Ratio præſentis regulæ eſt manifeſta: quia damnum illud eſt effectus culpæ. Sicut igitur ſibi tantum imputare debet culpam; ita pariter & damnum, quod ex culpa ſua natum eſt.

3 Inde fit, damnum illud ab ipſo totum ſuſtinendum eſſe: unde ſi contingat v. gr. inter duos contractam fuiſſe ſocietatem rerum ſuarum, & unus illorum committeret aliquod delictum, propter quod condemnetur ad ſolvendam certam ſummam pecuniæ; hæc ſumma pecuniæ non erit ſolvenda de rebus communibus in Societatem collatis, ſed de particularibus illius ſolius, qui crimen commiſit, ut conſtat ex l. *Cum duobus* 52. §. ult. ff. *Pro ſocio*. Ex eadem quoque ratione, ſi Procurator pœnam aliquam pecuniariam ſolvat ex delicto ſuo, illam a Domino non recuperat, ex l. *Qui proprio* 46. §. *Item contra*, ff. *De Procuratoribus*, & ſic de aliis ſimilibus.

4 Quæri poteſt, quid hic intelligatur nomine culpæ, utrum ſcilicet veniat ſola culpa moralis, an etiam extendatur ad culpam civilem, quæ frequenter contrahitur bona fide, & abſque ullo dolo, & delicto, ut cum violatur aliqua lex civilis bona fide abſque ulla penitus advertentia, ſeu cum inculpabili ejus ignorantia.

5 Reſp. regulariter loquendo, extendi etiam ad culpam civilem, unde ædificia publicis operibus

ribus verbi gr. mœnibus cohærentia Magiſtratus dejici jubet, neque damnum compenſat, ex l. *Ædificia* 13. C. *De operibus publicis*. Heres, qui non confecto inventario adit hereditatem, perdit falcidiam, & tenetur creditoribus ultra vires hereditatis, ex auth. *De heredibus, & falcidia* cap. 2. verſ. *Si vero non fecerit inventarium*, & ſic de reliquis. Ratio iſtorum eſt: quia regulariter loquendo ignorantia Juris in foro externo non excuſat, exceptis tantummodo quibuſdam caſibus, & particularibus quibuſdam perſonis, de qua re vide quæ diximus ad regulam *ignorantia facti* 13. hujus tituli.

R E G. LXXXVII.

Infamibus portæ non pateant dignitatum.

1 SUmitur ex leg. 2. C. *De Dignitatibus* lib. 12. ubi dicitur: *Neque famoſis, & notatis, & quos ſcelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt*. Conſonat etiam lex unica C. *De infamibus* lib. 10. &c. *Inter dilectos* 11. *De exceſſibus Prælat.* in iis verbis; *cum perſonis vilibus, & indignis portæ dignitatis patere non debeant, juxta legitimas ſanctiones*. Exemplum poni poteſt ex eod. cap. *Inter dilectos*. Quidam Clericus ab inferiori Collatore Eccleſiaſticam quamdam dignitatem obtinuit: ſed cum eſſet idem Clericus publicus aleator, & uſurarius manifeſtus, dubitatum fuit, utrum ea collatio eſſet ſuſtinenda, vel irritanda? Eam tamen dubitationem ſuſtulit Innocen. III. qui prædictam collationem irritandam pronuntiavit, propter

in-

indignitatem, & vilitatem perſonæ, cui facta fuerat.

2 Ad intelligentiam regulæ, notandum eſt primo ex ipſa voce, infamiam eſſe quamdam bonæ famæ privationem, vel diminutionem. Fama autem (quæ abſolute dicta in bonam partem accipi ſolet) definitur: *illæſæ dignitatis ſtatus vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus*, ex l. *Cognitionum* 5. ff. *de variis, & extraordinariis cognitionibus*.

3 Notandum eſt ſecundo; Ejuſmodi infamiam, prout ad præſens ſpectat, aliam eſſe Juris, aliam facti, de qua diviſione ſermo eſt apud Gloſ. in cit. c. 2. §. *Porro v. infamia* 3. qu. 7. Infamia Juris dicitur, quæ illata eſt per actum juridicum, ut puta per ſententiam definitivam Judicis circa delictum, quod ſit ex his, quæ in jure notantur infamia, juxta leg. 1. cum ſeqq. ff. *De his qui notantur infamia*, aut per judicialem impoſitionem pęnæ publicæ, ut fuſtigationis, flagellationis, & ſimilium, quæ infamiam irrogant, quando imponuntur ex cauſſa ſufficiente ad infamiam, juxta l. *Ictus* 22. ff. eodem. Item, quæ incurritur ex ſtatuto legis imponentis pęnam infamiæ his, qui aliquod determinatum crimen admiſerint; & nonnunquam etiam eorum filiis, & Nepotibus, ut eſt exemplum in c. *Felicis* 5. *De pęnis* in 6. aut his, qui aliquod determinatum officium exerceant, ut eſt exemplum in cap. 1. 4. qu. 1. & ex cap. 1. diſt. 51. Infamia autem facti dicitur, quando neque incurritur ex actu judiciario, neque ex decreto legis, ſed tantummodo ex aliquo facto gravi divulgato, & juxta communem Doctorum ſententiam de Jure Canonico, ex quolibet lethali peccato

pu-

publico, in quo quis perſeveret, ut tradit Molina de Juſt. tr. 4. diſp. 8. circa finem; unde perſona redditur vilis, & abjectæ æſtimationis apud probos, & prudentes Viros.

4 Notandum eſt tertio utrumque hoc genus infamiæ ſatis eſſe ad repellendam perſonam a conſecutione dignitatum. Præſens enim regula generaliter loquitur, nec diſtinguit inter infames infamia Juris, & inter infames infamia facti: ubi autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, ex l. *De pretio* 8. ff. *De publica in rem actione*. Idque procedit etiam circa infamiam legalem, hoc eſt, per leges civiles introductam, quia omnis infamia Juris civilis, eſt etiam infamia Canonica, ut conſtat ex textu expreſſo in c. *Omnes vero infames* 2. 6. q. 1. Quod niſi jus Canonicum talem infamiam abrogaverit, quemadmodum in cap. penult. & ult. *De ſecundis nuptiis* abrogatur legalis infamia, quam olim incurrebat mulier, quæ intra annum viduitatis tranſibat ad ſecundas nuptias.

5 Illud tamen diſcrimen pro re præſenti eſt inter infames infamia Juris, & infames infamia Facti, quod infames infamia Juris ſunt ſemper irregulares, quia infamia juris eſt perpetua etiam poſt crimen emendatum, quamdiu diſpenſatione non tollitur; at infames infamia facti ſunt irregulares ſecundum quid, quia emendatione vitæ ea irregularitas aboletur; ſaltem ſi emendatio per triennium continuata fuerit. Videri poſſunt Suar. *De Cenſur. diſp.* 48. per totam, Caſtrop. *De Cenſur. diſp. 5. pun.* 20. Molin. *de Juſt. tr. 4. diſp. 7. & ſeqq.* aliique ab ipſis citati.

REG.

REG. LXXXVIII. & ULT.

Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

1 DEſumitur ex l. *Non dubium* 5. C. *De legibus*, ubi dicitur: *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem*. Conſonat etiam l. *Scire* 17. *& leg. Contra* 29. ff. *de legibus*. Exemplum ſumitur ex cap. *Si poſtquam* 33. §. *Si vero electus*. *De elect. in 6.* Supponendum eſt decretum olim fuiſſe a Nicolao III. in c. *Cupientes* 16. *eod. tit. in 6.* ut poſt factam aliquam electionem, quæ eſſet confirmanda a Sede Apoſtolica, accederet electus intra determinatum tempus ad dictam Sanctam Sedem pro electionis ſuæ negotio proſequendo. Hoc ſuppoſito, Titius electus fuit ad quamdam Eccleſiam, & ut prædicto Canoni obediret, Romam venit, ſed paullo poſt de Rom. Curia receſſit ſine licentia, antequam ejus electionis negotium eſſet terminatum. Numquid in eo caſu dicendus eſt Canonem obſervaſſe? Reſpondetur negative ex cit. c. *Si poſtquam:* quia ſcilicet, quamvis verba Canonis ſolum exprimant, ut quis veniat; attamen mens ejuſdem Canonis eſt, ut poſtquam venerit, uſque ad finem negotium proſequatur.

2 Ad intelligentiam hujus regulæ, notandum eſt, poſſe dupliciter contra legem peccari. Primo aliquid faciendo, vel omittendo contra expreſſam prohibitionem legis, ut puta in exem-

exemplo allato, ſi Titius electus accedere negligat ad Rom. Curiam contra expreſſum decretum ſtatutum in cit. c. *Cupientes*. Secundo, obſervanda materialiter verba legis, ſed non in ea ſignificatione, quam Legislator intendit, & quæ poteſt facile intelligi ex ratione legis, ut ſi Titius accedat ad Rom. Curiam, ſed paullo poſt ſine licentia diſcedat ante abſolutum negotium, contra mentem Legislatoris, qui præcipiendo, ut veniret, præcepit propter negotium præſentialiter peragendum, atque hoc eſt, quod proprie dicitur committi fraudem contra legem, ex cit. l. *Contra* 29. ff. *de Legibus*.

3 Ratio ejuſdem regulæ eſt: quia pro obſervantia legis non minus eſt conſideranda mens, quam verba, quia mens, & ratio eſt quaſi anima legis. Ut autem ea legis mens, & ratio cognoſcatur, conſiderandæ ſunt cauſſæ, propter quas lex illa lata eſt, juxta quas ſunt interpretanda verba legis ex textu expreſſo in c. *Intelligentia* 6. *De Verbor. ſignificatione*, ubi dicitur: *Intelligentia dictorum ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi; quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus*.

4 Quatuor autem ſunt potiſſimum modi, quibus fraus committitur contra legem, amplectendo verba legis, & contra legis voluntatem nitendo, quos enumerat Gloſ. in c. *Quanto* 26. *de privilegiis v. in fraudem*. Primo, declinando a perſona in perſonam, ut puta ſi Maritus, cui per legem prohibeatur aliquid donare uxori, ſupponit aliam perſonam, cui donat, ut donet uxori, ex leg. *Hæc ratio* 3. §. *Non tantum* ff. *de Donationibus inter virum, & uxorem*. Secundo, de re ad rem; ut puta ſi

quia prohibitum eſt ex Senatuſconſulto Macedoniano, mutuare pecuniam filiofamilias, mutuet quis eidem aliquam rem, ex cujus venditione pecuniam colligat, ex leg. *Item ſi filius* 7. §. *Mutui*, ff. *de Senatus conſulto Macedoniano*. Tertio, de contractu ad contractum; ut puta ſi mulier, quia non poteſt donare Viro, aliquid ei vendit nullo exacto pretio. Quarto, de contractu ad eumdem contractum alio modo celebratum, ſed tendentem ad idem; ut ſi mulier, quæ pro alio fidejubere non poteſt, fingat, & faciat ſe principalem debitricem, ex l. *Quamvis* 8. §. *Si cum eſſem* ff. *Ad Senatus conſultum Vellejanum*. Videri poteſt Bartol. aliique Juriſtæ in cit. l. *Non dubium* C. *de Legibus*.

Atque hæc in totum Decretalium titulum *De reg. Jur.* ad majorem Dei gloriam dicta ſint ſatis.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google